




24
2626
~~9554~~

BIBLIOTECA POPULAR

Estante..... 10

Tabla..... 1

Número..... 1749





SL
4008
(v.2)

21
5

LECTIONES PHILOSOPHIÆ,

QUAS

IN COLLEGIO VALLISOLETANO ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI

PROVINCIAE SS. N. JESU INSULARUM PHILIPPINARUM

DICTABAT ET EXPLICAT

P. LECT. FR. JOACHIM ALVAREZ A JESU

ejusdem familiae alumnus.

Suavius est aliquid de Deo discere, quam docere.

S. GREGOR. NAZ., *Orat. 1. ad Naz.*

AD EJUSDEM COLLEGII USUM EDITÆ.

~~~~~  
VOLUMINIS TERTII PARS SECUNDA.  
~~~~~

THEOLOGIE NATURALIS DISPUTATIONES COMPLECTENS.



VALLISOLETI.—APUD GARRIDO.

—
1869.

Jesu dulcissime, fortitudo Martyrum, tædet me gaudere sine Te, delectet tristari pro Te, accipe me Tu propter Temetipsum et accipe volumen hoc, forsan ultimum (etsi alia parata sint), quod inter magnas molestias, tristitias et mœrores amore tuo concinnavi, tuum est, sicut ego et mea omnia.

Fr. Joachim Alvarez

à Jesu.

FR. CŒLESTINUS MAYORDOMO LECTOR ET EX-PROVINCIALIS

PROVINCIAE SSMI. N. JESU EREMITARUM S. P. N. AUGUSTINI INSULARUM PHILIPPINARUM, COMMISSARIUS GENERALIS EJUSDEMQUE PROVINCE PROCURATOR, NEC NON VICARIUS PROVINCIALIS AC EJUS IN PENINSULA COLLEGIORUM VISITATOR, etc.

Quum recognita ac examinata fuerit á RR. PP. Fr. Joachimo Garcia Lect. jub. ac Fr. Thirso Lopez Lect. et Stud. Reg. in Collegio S. Mariæ de la Vid, quibus hoc munus commisimus, *Lectionum Philosophiæ voluminis tertii secunda pars*, complectens *Disputationes Theologiæ naturalis*, quas in nostro Vallisoletano Missionum Collegio dictavit et explicat R. P. Lect. F. Joachim Alvarez á Jesu earundem Missionum alumnus; cumque iidem RR. PP. nihil in eis invenerint Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, quinimo ob earundem Disputationum doctrinæ pondus, et sermonis perspicuitatem, ut in lucem edi possent perutile esse probaverint, facultatem damus, ut eædem Disputationes typis mandentur, si iis, ad quos de jure pertinet, ita videbitur. In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas dedimus

Matriti in nostra Commissariæ domo die Festo SS. Trinitatis 23 Maji an. D. N. Jesu Christi 1869.

Fr. Cælestinus Mayordomo.

JOANNES IGNATIUS, MISERATIONE DIVINA SANCTÆ ROMANÆ
ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS MORENO, ARCHIEPISCOPUS VALLISO-
LETANUS, JUNCARIÆ DE AMBIA PRIOR ET DOMINUS, REGALIS AC PRÆ-
CLARI ORDINIS HISPANICI CAROLI III MAGNÆ CRUCIS EQUES, etc. etc.

Quum operis cui titulus: *Lectiones Philosophiæ, quas in Collegio Vallisoletano ordinis Eremitarum S. Augustini, provinciæ SSmi. Nominis Jesu insularum Philippinarum, tradebat R. P. Lector Fr. Joachim Alvarez à Jesu ejusdem familiæ alumnus*, voluminis tertii pars secunda *Theologiam naturalem* complectens, jussu nostro examinata, nihil contineat, juxta censuram, Ecclesiæ doctrinæ contrarium, quinimo studiosæ juventuti utilis sit; licentiam, ut typis mandetur atque in lucem edatur, quod ad Nos attinet, impertimur. In cujus fidem præsentēs litteras expedire decrevimus Vallisoleti 4 Octobris 1869.

Joannes Ignatius Cardinalis Moreno
Archiepiscopus Vallisoletanus.

L. † S.

De mandato Emmi. ac Rmi. Domini mei Cardinalis Archiepiscopi,
DR. D. CÆSARIUS RODRIGO,
Canonicus S.rius.

METAPHYSICÆ SPECIALIS TERTIA PARS.

THEOLOGIA NATURALIS.

INTRODUCTIO.

1. Jam, charissimi Fratres, accedimus ad pertractandam eam Metaphysicæ partem, in qua disseritur de prima rerum omnium causa exemplari, effectrice et finali, de Deo O. M. et de iis, quæ de incomprehensibili illa natura infinita intellectûs humani acies ex se assequi potest.

2. Nulla prorsus Philosophiæ pars præstantior hâc, quæ de Deo tractat, nulla utilior ad vitæ morumque sanctitatem, nulla jucundior est, et quæ potiori jure elucubrationes et labores nostros mereatur. Si enim, ut ex veterum sententia animadvertit S. P. Augustinus (1), nulla homini causa est philosophandi, nisi ut beatus sit, nihil sane magis ad rem nostram nihilque jucundius, quam amantissimum Patrem et Condito rem mundi contemplari, à quo sumus id quod sumus, à quo perpetuo conservamur, cujus Providentiâ regimur ac beneficiis cumulamur, cujusque possessione tandem beati in æternum erimus. Caute tamen ac debita cum humilitate intellectus noster dirigatur oportet, ne nimis curiosi in scrutanda Dei Majestate

(1) *De Civi. Dei*, variis in locis.

opprimemur á gloria (1). Itaque firmiter credamus quæ inquirimus, et inquiramus, non ut intellectus in vanis speculationibus quiescat, sed ut ad Dei amorem ac filialem reverentiam nos excitemus, et ita digne Dei causam contra blasphemos veritatis hostes tueamur.

3. Hæc præstantissima Philosophiæ pars *Theodicea*, et melius *Theologia naturalis* appellatur, quippe quæ de *Deo* disputat, non quidem Divinæ Revelationis præsidio *directe*, sed rationis naturalis lumine *præcipue* suffulta (2): et quoniam «diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit (3)», Theologia naturalis á Revelata secundum genus differt, non quidem ratione objecti, sed ratione intrinseci medii speculandi.

4. Non ea omnia, quæ mens, dulcissimo Dei amore accensa, suggeret, tractabo, me ipsum urgeam, ut calamum intra debitos limites contineam. Itaque in quatuor veluti articulos hanc de Deo disquisitionem dividimus; in quorum primo agemus de Dei *existentia*; in secundo de Ejus *Essentia*; in tertio de Dei *proprietatibus* seu *attributis absolutis*, et de *attributis relativis*; in quarto denique de Ejus *operibus ad extra*.

Deus semper idem, noverim Te, et noverim me.

(1) Hæc Divinæ Majestatis contemplatione percussus *Cardinalis de Polignac*, in istos versus erumpit:

*Magnum opus aggredior, Quinti, de Numine summo
Dicturus; quid enim toto præstantius orbe est
Quam sator et princeps orbis? Quid dignius omni
Et curâ, et studio, et nostræ conamine mentis?
Quid, si metimur vires, magis arduum et audax,
Quam rem infinitam brevimus comprehendere chartis?*

(2) «Sunt quædam intelligibilium Divinorum, quæ humanæ rationi sunt pervia, quædam vero, quæ omnino vim rationis excedunt.» S. Thom. *Sum. Cont. Gent.* L. 1. c. 3.

(3) Cons. S. Thom. *Sum. th.* 1. P. q. 1. a. 1. ad 2.

ARTICULUS PRIMUS.

DISPUTATIO 1.*—PRÆNOTIONES, ET SOLUTIO AD VARIAS QUÆSTIONES.

5. Antequam de Dei existentiae argumento tractemus nonnulla adnotanda sunt.

Ac *primo*. Quid Dei nomine intelligitur? «Definitio definitionum est Deus, quæ omnia quidem definit, ipsa vero à nullo definitur (1);» definiri nequit Deus, qui secundum Essentiam suam sub significatione non cadit (2): Deus est: *qui est*, nulla melior definitio.

(1) Hugo Card. *sup.* *Ezech. c.* 28.

(2) «Quid est Deus? Quod ad universum spectat, finis; quod ad electionem, salus; quod ad se, ipse novit. Est voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum; incommutabilis ratio, summa beatitudo; creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, firmans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans mentes ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, secundans ad securitatem.» S. Bernard., *De cons. ad Eug. Papam* L. 5. «Deus omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat. Quidquid boni quæris, summum bonum, et omne bonum ipse Deus est. Si gaudere vis, Ipse est gaudium; si te pugnare delectat, Ipse palma est; Si coronari vis, Ipse corona est; Si vincere cupis, Ipse victoria est; Si potentiam desideras, Ipse potentia est; si fortitudinem quæris, Ipse fortitudo est; Si justitiam vis habere, Ipse justitia est; si amas sapientiam, Ipse fons sapientiæ est; Si charitatem vis, Deus charitas est; si divitias appetis, Ipse dives est; Si pulchritudinem cupis, summa pulchritudo Ipse est; si plenitudinem omnis boni quæris, Ipse plenitudo est; Si gloriam et honorem desideras, vera gloria et summus honor Deus est; Si pacem vis, pax æterna Ipse

:

In præsentī quæstione intelligimus nomine DEI: Ens supremum á quo pendet rerum universitas: Ens sibi sufficiens et ratio sufficiens prima ac ultima aliorum entium: Ens infinite perfectum, quo majus cogitari nequit. Quapropter de Deo nihil proprie prædicari potest: Ipse est veritas essentialis, essentialis justitia, ipsa vita, ipsa sanctitas, etc., etc.; idcirco Dei definitiones nominales solummodo sunt.

6. *Secundo*, qui Dei existentiam negant *Athei* nuncupantur, id est, *sine Deo*; horribile nomen, quod quicumque ferat, suam ipsius condemnationem ac poenam pronuntiat. Alii *indirecte* athei appellari possunt, illi nempe, qui vel Deo imperfectionem aliquam tribuunt, vel aliquam perfectionem denegant, vel dicunt, ipsum circa cardines cœli perambulare nec nostra considerare. Communiter hi vocantur *deistæ* vel etiam *theistæ*, qui in unum Deum se gloriantur credere, at nullum verum Deum agnoscunt. Alii autem *directe* tales sunt, et hi sunt vel *negativi*, si qui sunt, si simpliciter Deum existere ignorant; vel *positivi*, si Dei existentiam præfracte negant aut impugnant. Positivi athei dicuntur *speculativi*, si Deum scriptis aut verbis et vere ac ex animo negant; *practici* vero, si ita vivant ac se gerant, quasi Deus nullus esset. Jam

7. *Queritur* 1.^o An dentur athei indirecti? *Resp.* affirmative, et hoc nulla indiget probatione.

8. *Queritur* 2.^o An exsistant athei *negativi*, id est, qui Dei existentiam ignorent? *Resp.*, nullum esse hominem ratione utentem, qui Dei existentiam ignoret ignorantiam *positivam* invincibili, bene vero ignorantiam *privativam*, saltem per aliquod tempus. Ignorantia *positiva* est carentia notitiæ existentiae Dei in homine adulto et rationis com-

«est. Deus est semper totus desiderabilis, totus dulcis, totus amabilis, totus suavis, et totus delectabilis.» S. P. Aug., *Lib. de Medit.* cap. 6. et Serm., *De miseria hum.*

pote conjuncta cum errore positivo, scilicet, cum negatione hujus existentiae. Jam vero hæc ignorantia facit atheos jam positivos, de quibus immediate quæram. Ignorantia *privativa*, quæ sola proprie ignorantia est, est carentia notitiæ existentiae Dei, sine ullo errore in contrarium. Hujusmodi ignorantia ad breve tempus ac facile vincibilis dari ultro concedimus; sunt enim non pauci adeo ingenii tardi ac vitâ fere animali viventes, qui raro supra res sensibiles sese attollunt; aliter dicendum est de ignorantia hujusmodi per longum tempus et moraliter invincibili, hanc dari posse non puto; etenim præter illud insatiabile desiderium, ac invincibilem et naturalem inclinationem ad summam felicitatem et ad summum Bonum, ex suiipsius conscientia et necessitatibus, ex rerum mutationibus, ordine et pulchritudine naturaliter propellitur homo rationis compos ad agnoscendum universi Conditorum ac Gubernatorem. Ejusmodi autem cognitio sufficit, ut homo agnoscat obligationem ulterius inquirendi; cui si obsequatur animumque serio applicet, facile certitudinem de Dei existentia assequetur; aut si eam negligat, invincibiliter Deum non ignorabit.

9. *Quæritur* 3.^o Utrum existant athei *positivi*. *Resp.* 1.^o si de atheis *practicis*, id est, de iis, qui ita vivunt ac se gerunt, quasi nullus Deus esset, loquimur, nulli dubium esse potest, quod semper et ubique abundaverit hoc genus animalium. 2.^o Etiam certum est, reperiri nonnullos, qui mentitâ iniquitate ore tenus Deum negant; qua tamen in re, id potius asserunt quod vellent, quam id quod sentiunt; quamquam enim hi ex illis sunt, quibus non expedit esse Deum, non tamen ad eam cœcitatē devenire potuerunt, quæ non percipit ipsam evidentiam. Quod quidem satis manifestant, ubi periculum aliquod ac repentina calamitas urget: tunc enim *eripitur persona, manet res* (1),

(1) Lucret., *lib* 3.; Nemesius; *De homine*, c. 24., ait: «In repen-

et videntur hi proceri, *spiritus fortes*, animi elati usque ad vulgares superstitiones se dimittere.

Si vero agitur de atheis speculativis seu dogmaticis, de iis, scilicet, qui vere et ex animo sentiant: Deum non esse. *Resp.* 1.^o Possibile est, Deum permittere, aliquem hominem, foedis passionibus obtemperantem, adeo excæcari et in reprobum sensum tradi, ut, cum Deum negare magnopere desideret, id denique assequatur; horribilis poena, justissima tamen. 2.^o Naturaliter autem, et ordinarie loquendo, probabilius videtur, hominem ratione utentem, quantumlibet depravatus supponatur, non posse in immani adeo ac manifesto errore diu manere, cum præsertim oppositæ veritatis evidentia vel invitos attingat; quia «quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit... ita ut sint inexcusabiles (1):» «Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt (2):» Dixit insipiens, non in mente, non ratione, sed in corde, id est, voluntate perversa, non est Deus (3). «Mentiuntur igitur qui dicunt se non sentire esse Deum;» nam etsi tibi affirment interdum, noctu tamen et sibi dubitant (4).» Et certe tum ex veterum, tum ex recentiorum auctoritate, et ex ipsorum agendi ratione, præsertim cum mors ad ostium pulsatur, compertum est, atheos secum ipsis haudquaquam constare (5). Cujus rei ratio est, quia mo-

»tinis perturbationibus, et timoribus, sine electione, neque deliberatione, et antequam aliquid consideremus, Dei numen invocamus. »Quidquid autem naturaliter quamque rem insequitur, in eo tanta est »vis ad demonstrandum, ut contradici non possit.»

(1) Ad Rom. 1.—18.

(2) Tertull., *Apolog.* c. 17.

(3) Psalm. 13.—1.

(4) Seneca, *De Ira lib.* 1.

(5) Cons. Plat. *De Legibus*, Dial. X ; Bayleum, *Diction. crit.* art. Bion; P. Tournemine, *Memorias de Trévoux*, Mayo 1755.; Bergier, *Examen del materialismo*, Tom. 2.

tivum, quo atheus ad negandum Deum induci posset, vel foret proprio studio excogitatum, vel aliena auctoritate persuasum; sed neutro modo potest induci ad sentiendum Deum non esse: nam 1.º quidem si tantâ valet perspicaciâ, ut rationes ad negandum Deum invenire queat, certe fortiores depromere poterit ad existentiam Dei affirmandam; quod idem dicendum est, si rationes aliunde acceptas capere ac pervadere possit, ut evenit in magnis ingeniis; nullus enim unquam fuit sapiens et magno ingenio commendatus, qui Deum non agnosceret: 2.º privatæ autem auctoritati alicujus perditioni hominis contra communem omnium gentium consensum prudenter et inculpabiliter assensus dari nequit: 3.º denique nulla hactenus publica auctoritas contra Dei existentiam emicuit. Athei enim aut nulli reapse fuerunt, aut admodum pauci; et hi rursus aut insipientes, aut improbissimi: iniquum autem est consentire paucis, stultis et scelestissimis, relicta auctoritate illorum omnium, qui sapientiâ, honestate ac probitate eminuerunt et eminent. Quapropter nihil mirum, si athei, qui momento passionum æstu quassati audacter mentiuntur, aliquando stimulis conscientie excruciat, ut rabidi canes Deum latrent (1).

(1) Ad rem *Le Franc*:

Si gozan de calma
Falsa es y engañosa,
Pues cualquiera cosa
La puede turbar;
Blasfeman y su alma
Se abate de horror,
Del rayo el fulgor
Les hace temblar.

Mas tu, Dios, sigues por doquier al impio
Y á pesar de su loca pasion,
El dolor del pasado desvio
Te retorna á su corazon.

Oda de *Le Franc*. acerca del Salmo: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.*

10. *Queritur* 4.^o Quæ est causa, ut nonnulli Deum non esse, adeo desiderent, et ore et corde saltem Eum negent? *Resp.* Jam dicit afflatus Psalmista; postquam enim in 1. v. dixerat: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus;* prosequitur in 2. v.: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum non est usque ad unum* (1).

Merito ait S. P. Augustinus: «Nemo Deum negat nisi »cui expedit Deum non esse.» Et Rousseau: «Animo tali »vivas, ut semper optare queas, Deum esse, quo nunquam »de hac veritate dubitabis: Deum adora, et omnia evanescent tibi atheismi phantasmata.» Et La-Bruyere: «Vellem »invenire hominem sobrium, moderatum, castum, justum, »qui negaret Dei existentiam, et animæ immortalitatem; »hic saltem loqueretur, quæ sua non interessent: talis »autem homo nunquam invenitur.» Et Sainthibal: «Vivunt »athei ut nunquam morituri; moriuntur ut semper victuri (2).»

11. *Queritur* 5.^o Utrum Dei existentia debeat ac possit demonstrari? *Resp.* Dei existentia debet á Philosopho demonstrari: 1.^o quia non desunt perditii homines, qui Deum esse negent saltem ore et corde; quos confundere, et scandalum abigere oportet: 2.^o quia Dei existentia non est *nobis per se et immediate nota*, ut communiter docent DD.; et ratio est, quia propositio nobis per se nota illa est, cujus subjecti et attributi essentiam immediate contuemur; jam vero, etsi Dei existentia sit Ejus Essentia, seu essentialiter Deus sit, ac proinde qui cognosceret quid Deus sit, is statim intelligeret, Deum non posse non esse; tamen, cum nobis in hac vita datum non est Dei essentiam intueri, non cognoscimus immediate quid Deus sit,

(1) Psalm. 13. v. 1. et 2.

(2) Cons. M. F. de La-Menne. *Indifferentismo* etc. lib. 2.; La Bruy., *Characteres*; Feller, *Chat. Philos.*

ac proinde solum post cognitam Ejus existentiam, componere argumentando possumus ideam, quæ per elementa quædam analogica Deum repræsentet. Imo, etsi etiam Dei cogitatio prima ostenderet immediate existentiam, tamen, nisi jam aliunde constet, Deum esse in rerum natura, non ostendit existentiam *realem et physicam*; unde hæc propositio: *Deus est*, per se quoad nos nota est solum in hypothesi quod sit. Igitur Dei existentia nobis demonstrari indiget (1).

12. *Dicetis*: Si Dei existentia demonstranda est, quomodo cum veritate dici potest, Dei existentiam nobis esse naturaliter notam, prouti communiter dici solet?

Resp. Dei existentia dicitur naturaliter nota, non quia idea Dei innata sit, aut quia Deum mente immediate intuiamur, sed quatenus mens humana et rerum naturam et semetipsam considerans, sponte instituit eas comparisones et ratiocinationes, quibus ad Dei cognitionem saltem imperfectam provehitur, maxime quoniam innato desiderio propellitur ad Deum, ut Summum bonum quod appetit (2).

Inst. In idea, quâ communis hominum ratio Deum

(1) Ad rem perbelle ait præcl. Balmesius: «Pectus tristitiâ gravatur vel sola cogitatione, quod perpaucorum hominum cœcitas et malitia necessariam reddiderit expositionem et confirmationem veritatis, quæ et in cœlo et in terra scripta est characteribus adeo claris et splendentibus, ut ipsos summa facilitate intellexerint populi universi; nec enim Philosophia aliud esse deberet, quam hymnus amoris et laudis Supremo Creatori, ad instar cantici sublimis, quod firmamentum et universæ creaturæ perpetuo enarrant. Nihilominus tamen fateri cogimur aliquos fuisse homines, qui Dei existentiam negarunt, si non mente, saltem ore et corde; quapropter Philosophia suo munere non fungeretur, nisi invincibilibus demonstrationibus confunderet eos, qui frontem luto immersam nonnunquam extollunt, ac contra cœlum blasphemant, dicentes: *non est Deus.*» *Philos. elem., Theodicea, c. 2. n. 1.*

(2) Vid. *Dynam.*, Disp. 15 et 16.

percipit, relucet quaecumque perfectio; sed hæc debet esse congenita et naturæ inspirata, nec potest esse comparata per sensus; tum quia parit in homine iudicium firmissimum; lex autem et regula firmissimi et immutabilis iudicii extra finitarum et corporearum rerum ordinem statui debet; tum quia idea sensibus comparata non est semper eadem in omnibus; ergo etc.

Resp. Trans. maj.; quia hæc idea certe non est prima, quam de Deo habemus, ac forsitan non in omnibus, præsertim politheis. *Nego min.* (1).

Ad rat. 1.^{am} Transmissa iterum ejus parte prima, *dist. secundam*; Lex et regula iudicii firmissimi proxima ac immediata extra finitarum ac creaturarum rerum ordinem statuenda est, *nego*; remota, mediata ac prima seu ultima, *conc.*; sed *nego suppositum*, ad hanc scilicet sine ratiocinationis usu perveniri. Præterea hoc argumentum ex officina Cartesiana depromptum, secundum quam pro primo demonstrationis ac veritatis cognoscendæ principio existentia Dei requiritur, fallit in illo experimentalis atque ad cognitionem Dei prævio ratiocinio seu facto conscientiæ: *Cogito, ergo sum.*

Ad rat. 2.^{am} Dist., Idea sensibus comparata, quæ est mere experimentalis, seu præcise capta ex sensibili objecti actuali apparentiâ et organorum perceptione, non semper eadem est in omnibus, *trans.*, vel *conc.*; idea sensibus comparata, quæ potius est rationalis, et ex manifesta constantique objecti habitudine ac recto rationis usu exprimitur, *nego* (2).

13. *Queritur* 6.^o Et potestne Dei existentia invicte demonstrari? *Resp.* Præter atheos, qui communiter hanc solam rationem pro suo atheismo adducunt, negant alii et alii diversa ideo ratione. Negant qui autumant, nullam

(1) Cons. *Dynam.* l. c.

(2) Wirceburg., *th. t.* 2. c. 1.

esse instituendam de Dei exsistentia demonstrationem, utpote quæ sola fide tenenda sit, atque ex revelatione credenda, de qua nobis constat ex auctoritate generis humani (1). Negant etiam, qui dicunt, Deum mens nostra immediate intueri, atque nullam saltem stricte talem demonstrationem de Ejus exsistentia fieri posse (2). Negant Kantius et qui ejus principiis adhærent, eo quod rationi theoreticæ vim omnem adimunt transcendendi experientiæ limites, eorumque insensibilium realitatem inferendi (3). Vehementer tamen aberrant hi omnes; etenim Dei exsistentiam demonstrari posse, saltem á posteriori, adeo evidens est, ut solum per summum nefas et stultam ignorantiam negari queat.

14. *Obj.* Dei exsistentia idem est ac Ejus essentia; atqui Dei Essentia non potest ratione cognosci; ergo nec Dei exsistentia.

Resp. Dist. maj. Dei Essentia et exsistentia idem sunt in se et secundum se, *conc.*; quoad nostram cognitionem seu in nostro conceptu, *nego. Dist. etiam min.*; Dei essentiam non potest ratio cognoscere *intuitive* et *adæquate, conc.*; non potest cognoscere inductive et inadæquate ac saltem quid hoc nomen: *Deus*, significet, *nego*.

15. *Queritur* denique 7.º Potestne Dei exsistentia demonstrari á *priori* an tantum á *posteriori*? *Resp.* Dei exsistentiam posse demonstrari evidenter á *posteriori*, certo certius est, utrum vero valeat et firmum sit argumentum á *priori*, concedunt nonnulli, alii communiter negant.

Nota. Est demonstratio stricte á *priori*, quando aliquid

(1) Hi sunt F. de La-Menne, *Ensayo sobre el indiferentismo*, Bautain, et rigidiores traditionalistæ.

(2) Hi sunt rigidiores Ontologi, Giobertius et alii.

(3) Hi præcipui sunt Fichteus, Clodius, Daub, Marcheineke, et ex parte ipsi catholici Petrus de Alliago et L'Herminier.

demonstratur per suam causam, sive physicam sive metaphysicam, seu cum principia, quibus innitur demonstratio, re, sive ordine ontologico præcedunt veritatibus demonstrandis. Jam vero secundum hoc nobis omnino certum est, Dei existentiam non posse demonstrari á *priori*. Etenim nihil est ante Deum neque in ordine physico, neque in ordine metaphysico; sed solummodo in ordine logico seu cognitionis nostræ, neque Dei Essentia nobis nota est.

Est alia demonstratio, quam dicunt á *simultaneo*, quando, scilicet, res demonstratur per suam essentiam, aut prædicatum aliquod essentiale, quod neque causa sit, neque illius effectus. Quam demonstrationem nullatenus ut concludentem et peremptoriam habemus: 1.º quia plus subtilitatis, quam utilitatis ad convincendos præsertim atheos habere videtur: 2.º quia procedit á falso supposito, Dei, scilicet, Essentiam nobis perspectam esse: 3.º denique quia nulla hactenus ab ejus defensoribus allata sunt argumenta, quæ vel á reliquis Theologis quantumlibet ingenio pollentibus haberentur pro demonstrationibus ex se præcise ac sine prævia creaturarum hypothesi convincentibus, vel ab atheis elidi nequeant. Quocirca vix ullus Patrum hanc viam ingressus est, si S. Anselmum forsitan excipimus; de quo dubitare fas est, an suum argumentum voluerit sic tanquam demonstrationem proferre, aut vim illi tribuerit independentem á supposita exercita Entis Optimi existentia. (1).

(1) En S. Anselmi argumentum (*Proslog. c. 2. et 3.*) «Omnes nomine Dei intelligunt illud, quo nihil majus cogitari potest; ac proinde illud, quo nihil majus cogitari potest in intellectu existit. Atqui, si illud, quo nihil majus cogitari potest, existit in intellectu, etiam in re, nempe extra intellectum, existere debet. Ergo illud, quo nihil majus cogitari potest, nempe Deus, existit in intellectu et in re. » *Prob. cons. min.* Si ens, quo majus cogitari nequit, esset seu existeret solum in intellectu et non in re, jam non esset ens, quo majus cogi-

16. *Obj.* Omnis demonstratio debet esse 1.^o ex prioribus: 2.^o ex necessariis: 3.^o ex notioribus; ergo, cum hæc in creaturis respectu Dei non habeant locum, Dei existentia demonstrari debet á priori et nullo modo á creaturis.

Resp. Quoad 1.^{am} p. *Dist. maj.* Demonstratio debet esse ex prioribus in ordine logico seu cognitionis, id est, ex iis, quorum cognitio præcedit, *conc. maj.*; in ordine ontologico, seu existentie physice, id est, ex iis, quæ prius existunt in propriis naturis, *nego maj.*

Quoad 2.^{am} p. *Dist. maj.* Demonstratio debet esse ex necessariis absolute vel secundum existentiam talibus, *nego maj.*; ex necessariis, quæ talia sunt saltem ex suppositione, vel secundum habitudinem ac connexionem cum re demonstranda, *conc.* Tales sunt creaturæ, quia: 1.^o necesse est eas esse ex suppositione, quod sint: 2.^o

«tari nequit; etenim majus et perfectius est ens, quod existit et in intellectu et in re, quam quod existit in solo intellectu seu statu ideali. «Cogitando igitur ens illud, quo nihil majus cogitari nequit, esse in re, cogitamus aliquid majus eodem, quod in solo intellectu existit. «Ergo etc.»

Notandum hic est contra Cartesium, qui hocce argumentum á S. Anselmo mutuavit, sed alio prorsus sensu, nam S. Anselmus ideam illam Dei, quâ cognoscimus Deum esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit, non adstruit esse innatam seu ingentam, ut vult Cartesius, sed eam revelatam esse á Fide tradit; ait enim: «Et quidem credimus Te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit.» Unde c. 4. addit: «Gratia Tibi, bone Domine, Gratia Tibi, quia quod prius credidi, te donante, ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere.» Insuper S. Anselmus in *cap. 1. Epist. ad Rom.* docet, optimam esse rationem, quâ ex creaturis Deum esse intelligimus, id quod Cartesius inficiatur contra ipsa peremptoria S. Apostoli verba *Epist. cit. v. 19. seq.* S. Anselmi tamen argumentum non recipitur á S. Thoma (*Sum. th. 1. P. Q. 2. á 1. ad 2.; Cont. Gent., lib. 1. c. 11.*) et majori Theologorum parte, et ipso S. Anselmi tempore Gaunilon monachus refutavit in libro, cui titulus: *Liber pro insipiente.* Ei tamen S. Doctor objecit aliud opus, cui nomen: *Liber apologeticus contra Gaunilonem.*

quia essentialiter dependent á prima causa, nempe á Deo, et sine eo nec ad momentum quidem esse possunt.

Quoad 3.^{am} p. conc.; et animadverto: existentiam quarundam creaturarum nobis tantum esse physice non metaphysice certam et evidentem, attamen de plurium creaturarum habemus certitudinem metaphysicam. Unde eandem rationalem certitudinem habemus de existentia quamplurium creaturarum, quam de existentia Dei. Ex iis *nego min.* et *cons.*

Omissis jam iis domesticis disidiis, ad adversarios, quibuscum nobis decertandum est, deveniamus.

Cum tamen fere infinita sint argumenta, quorum unoquoque Dei existentia evidenter demonstretur, nos, quin eis vel minimum derogare velimus, triplicis ordinis *metaphysici*, scilicet, *physici* et *moralis*, præcipua seligemus. Igitur

DISPUTATIO 2.^a—AFFERUNTUR ALIQUA ARGUMENTA
QUIBUS DEI ÆTERNA EXSISTENTIA DEMONSTRATUR.

17. Quoniam «per effectus de Deo cognoscimus quod est, et quod causa aliorum est (1);» cum enim res cœperint esse, oportet, ut ab aliqua causa sint, quæ dat omnibus *esse*. «Ecquis, ait Damascenus, hoc nobis non assentiatur, omnia, quæ sunt mutabilia esse? Cum ergo mutabilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata, haud dubium, quin ab aliquo opifice sint condita. Atqui Creatorèm increatum esse necesse est; nam si Ipse quoque creatum est, á quodam perfectiori creatus erit, sicque donec ad aliquid increatum venerimus (2).» Et S. Pater ait: «Unde scio quia vivis, cujus animam non video? Unde scio? Respondebis, quia loquor, quia ambulo,

(1) S. Thom. *Sum. Cont. Gent.*, lib. 3. c. 39.

(2) *De Fide Orthodoxa*, lib. 2. c. 3.

quia operor. Stulte, ex operibus cognosco viventem; ex operibus creaturæ non potes cognoscere Creatorem? (1)»

18. Ex argumentis á *posteriori*, quibus Dei summi existentia demonstratur, alia sunt *metaphysica*, *physica* alia et alia etiam *moralia* vocantur. *Metaphysica* ea sunt, quorum media desumuntur ex ipsa rerum essentia, ex natura et essentia Dei aut entibus spiritualibus; *physica* sunt, quorum argumenta colliguntur ex materia, mundo, corporibus, et legibus, harmoniâ et ordine, quibus connectuntur; *moralia* sunt illa, quarum medium vel fundatur principiis prudentiæ, vel á materia mores spectante depromuntur. Hujusmodi demonstrationes quamplurimæ sunt in unoquoque ordine et varia afferuntur á variis, inter quos S. Thomas proponit quinque (2), ac 1.º quidem ostendit admittendum esse primum motorem; 2.º causam primam; 3.º ens necessarium; 4.º ens perfectissimum; 5.º conditorem ac gubernatorem universi; atque hinc Deum existere infert.

Rationi humanæ vel parum excultæ naturaliter occurrunt prope infinita argumenta, quibus evidentem Dei cognitionem acquirit, idcirco nos, ut brevitati consulamus, unum argumentum ex unoquoque ordine veluti in exemplum afferemus.

19. *Nota.* Resumentes hîc quæ alibi disputabimus (3), præ oculis habendum est: 1.º Intrinseca rerum possibilitas et omnis earum intelligibilitas necessario præsupponit aliquam essentiam physicam realiter existentem (Ontol., *Disp.* 6.^a *prop.* IV.) 2.º Ens á se seu *necessarium* intelligimus id, quod est absolute independens ab omni alio, habetque ex essentia existentiam, seu necessitatem existendi, seu illud, cujus esse est suum existere, atque ideo

(1) *Enarr. in Psalm.* 83. n. 25; *De Civ. Dei*, lib. 8. c. 6.

(2) *Sum. th.*, 1. P. Q. 2. a. 3.

(3) *Ontologia*, Sect. Secunda.

ejus non existentia absolute repugnat. 3.^o Ens *perfectissimum* dicitur, quod absoluta ac simplicissima entitate habet quidquid perfectionis excogitari potest. 4.^o In ente *necessario* posse exsistere et exsistere unum idemque est; quia, cum posse habeatur ab essentia, et exsistere sit de essentia entis necessarii, posse et esse in eodem conveniunt, et in invicem convertuntur. 5.^o Similiter posse habere perfectionem vel ejus gradum hîc idem est ac habere; cum enim ens necessarium non existat sine perfectione, sicut ab essentia habet, quod existat, sic ab eadem habet, quod tale existat. 6.^o Omnis *limitationis* debet esse aliqua causa vel *intrinseca* vel *extrinseca*; illa vero in ente necessario non alia potest esse, quam propria ejus essentia: neque enim potest limitari ab alio *extra se*, cum sit prorsus independens ab alio: neque etiam á propria *voluntate*; tum quia essentiale esse prius est, quam velle: tum quia quidquid enti necessario inest in primo esse suo necessario inest, utpote ab essentia profluens, ideoque mutari nequit. Itaque, si qua perfectio illi deesset, deberet id fieri ex ejus incompatibilitate cum essentia hujus entis, quæ cum nec assignari, nec dari queat, etenim ejus essentia est esse substantialiter et absolute, patet, enti necessario nihil perfectionis omnino deesse posse: neque in hoc etiam ab ullo exceditur; cum unicus dumtaxat Deus sit; ideoque ens perfectissimum plane est. (Cons. Ont. Sect. secund., Disp. 11.^{am} et 12.^{am}) Jam vero sit.

I. *Argumentum metaphysicum.*

20. Existit nunc aliquid saltem nos, et hoc adeo evidens est, ut nemo negare audebit. Ergo existit ens necessarium, id est, ens cujus essentia est ratio sufficiens æterna et necessaria suæ existentiae. Atqui hoc ens est Deus. Ergo Deus existit.

Demonst. primum consequ. Si non existit ens hujus-

modi, id est, necessarium, æternum, Ens á se, omnia quæ sunt, vel sunt necessaria, id est, vel habent ex essentia sua in seipsis rationem sufficientem suæ existentiae, vel habent á casu fortuitu, vel á nihilo. Atqui hæc tria contradictionem implicant. Et 1.º quidem nec nos, nec ea quæ in mundo sunt et mundum constituunt quid necessarium sumus: non nos, etenim intimâ experienciâ evidenter constat, nos et recentes esse et perpetuis mutationibus obnoxios; insuper nullam necessitatem in conceptu essentiae nostræ invenimus: omnia ea etiam, quæ in mundo sunt et ipsum constituunt contingentia sunt, quippe quæ et perpetuo mutabilia et in perpetuo motu et successione inveniuntur et nullam necessitatis notam in eis concipimus. Ergo nec nos, nec ea, quæ mundum constituunt entia necessaria sumus, seu entia talia, ut in essentia et ex essentia habeamus rationem sufficientem existentiae. 2.º Existentiam á nihilo accipere non potuimus nec nos, nec ea, quæ mundum constituunt; et hoc evidens est, etenim nihilum est absoluta negatio, nihil habet, nihil dare potest. 3.º Non á nobismetipsis; etenim antequam essemus, eramus pura possibilitas, et hoc non ratione sui, sed ratione alicujus entis necessarii, quod rerum omnium contingentium ratio sufficiens sit; possibilitas, autem non est ratio sufficiens existentiae: insuper si existentiam acciperemus á nobismetipsis nobisipsis priores simul et posteriores essemus. 4.º Non á casu fortuitu; etenim casus fortuitus nomen est sine re; quæremus vero ab atheo: utrum casûs fortuitûs nomine intelligat ens, quod sit ratio sufficiens rerum contingentium; an vero intelligat, res omnes exsistere sine ratione sufficienti: in primo casu quæstio erit de nomine, revera Deum jam admittit; in secundo id affirmat, quod est absolute impossibile, prima principia negat, et ut demens habendus est. Ergo existit Deus, seu ens necessarium, ens á se, æternum, et ratio sufficiens omnium quæcumque sunt.

21. *Alio modo.* Si nunc existit aliquid, semper et necessario extitit aliquid; atqui nunc existit aliquid; ergo semper extitit aliquid. *Minor evidens est; demonstratur conseq.* Si non semper exstisset aliquid, assignari posset instans, in quo nihil absolute exsistebat; absolute autem impossibile est, ut aliquid nunquam exsisteret; ergo semper extitit aliquid. *Demons. min.* A nihilo nihil oriri, nihil absolute possibile est; ergo si aliquando nihil exsttit, seu si assignari potest instans, in quo nihil erat, id est, instans absolutæ negationis alicujus existentiae, nunquam fuit possibile, multoque minus potuit exsistere aliquid. Ergo si aliquid nunc existit semper extitit aliquid. Jam vero hoc ens, quod semper exsttit, vel necessarium est, vel contingens. Si necessarium, habet in se et essentialiter rationem sufficientem suæ existentiae, hoc autem est Deus; ergo Deus existit; si vero contingens esse dicis; ergo non habet ex essentia in seipso rationem sufficientem suiipsius; ergo potuit esse vel non esse, ergo fuit aliquando, quando non erat; ergo habuit necessario in alio rationem suæ possibilitatis et existentiae. Hoc vero aliud vel est necessarium, vel contingens: si necessarium, est Deus: si contingens, reddit argumentum. Ergo necessario perveniendum est ad ens, cujus essentia est esse absolute necessarium, æternum, absolutum, etc. (1).

Corroboratur argumentum. 1.^o Quidquid est mutabile et contingens, creatum est, vel increatum: si creatum, ergo oportet esse conditorem omnium rerum mutabilium et contingentium. Si increatum; ergo non erit contingens,

(1) Hic occurrit illud, quod quædam muliercula reposuit petulanti garrulo atheistam sese jactanti: dic mihi, procer singularis, ait illa, quid exsttit prius ovum, an gallina? Si ovum, á qua gallina editum? Si vero gallina fuit prius, á quo ovo procreata? Hanc disjunctivam jam proposuerat Aurelius Macrobius in *Saturnalibus*.

sed immutabile, quoniam non potest mutationi subjectum esse, nisi quod esse cœpit à mutatione.

2.° Quæ contingenter existunt, nullam habent vim sese conservandi; possunt enim contingentia singulis momentis desinere. Igitur quod perseverent, beneficium est alicujus causæ, quæ ea servet, siquidem talium essentia, etsi actualis sit, semper contingenter est. Atqui non minor potentia requiritur ad rem producendam, quam in suo esse contingentia conservandam. Ergo si res ut perseverent in suo esse contingentia indigent causa ac principio non contingentia; tali causa ac tali principio indigent quoque ut exsistere incipiant.

Omittimus cætera.

Argumenta metaphysica adeo evidentia sunt et peremptoria, ut impossibile sit ea non convincere vel pervicacissimum atheum, si vellet contemplari vel posset (1).

Atheorum effugium.

22. Ut vim allati argumenti athei eludere videantur, quoniam affirmare verentur, aut nihilum fuisse rerum causam, aut duo entia sese mutuo produxisse, ad seriem infinitam causarum et effectuum confugiunt, agentes: per hujusmodi seriem explicari posse rerum existentiam, quin ad causam necessariam et increatam devenire necesse sit: Ineptissime tamen. Nam

Repugnat series infinita causarum contingentium absque causa prima et necessaria, seu quæ habeat in se et essentialiter rationem sufficientem sui esse.

23. Constat 1.° *ex repugnantia seriei actu infinitæ*. Series quæcumque entium contingentium producentium et productorum, revocari potest ad seriem numericam ter-

(1) Dico *vel posset*, quia hoc genus animalium luto et cœno adhærens non capit ea, quæ sensibilibus superexstant.

minorum ascendentem et descendente[m], in qua terminus quilibet sequens unitate distat á præcedenti; ergo si talis series evaderet actu infinita, id fieret per additionem quantitatis finitæ; ergo finita efficerent infinitum, seu daretur transitus á finito ad infinitum per res finitas, et infinitum á finitis acceptionibus mensuraretur, hæc autem omnia repugnant. Non valet opponere, quantitatem additam esse indeterminatam, vel infinitam: si enim hoc, frustra additur præcedenti termino, ut fiat infinita; si illud, adhuc subsistit idem argumentum; nam quantitas illa indeterminata erit semper quid finitum. Quod diximus de productis et producentibus, dici potest de quocumque statu mutabili, et de ordine entium, quorum unum ab alio successive penderet.

Insuper, aut series hujusmodi desinere in momento præsentis concipitur, aut non: si desinit; ergo infinita non est, quia infinitum non potest finem habere: si non desinit; ergo in momentis sequentibus augetur; ergo infinita non est dicenda; erit igitur series finita et infinita, quod est absurdum. Potest quidem nunc actu incipere catena successiva, quæ indefinita sit; sed hæc catena, eo ipso quod est indefinita, seu quæ finem non est habitura, numquam actu integra exsistet, et nunquam erit actu infinita. (1)

2.º *Ex necessitate causæ primæ et necessariæ.* Dato etiam, quod series hæc causarum contingentium ex conceptu infinitatis actualis non repugnaret; in hypothesi tamen atheorum series illa contingens absque ente improducto á tota serie distincto et ejus existentiam determinante, manifestam absurditatem involvit. Etenim in serie entium A B C D etc., quorum quodlibet existentiam á præcedenti mutuatur, E non existit, nisi in hypothesi existentie D, et cum D non existit, nisi in hypothesi existentie C et sic deinceps, patet, nullum

(1) Cons. Ont. Disp. 11.^{am}, num. 153. seq.; pag. 92.

eorum esse causam completam absolutam, seu causam sufficientem, sed hypotheticam dumtaxat et incompletam relate ad ultimum terminum possibile X; ergo sive hæc series infinita actu in directum protrahi, sive in orbem redire fingatur, est per se insufficientis ad existendum; nam aggregatum causarum, ex se insufficientium ad existendum, non mutat earum naturam; earum enim contingentia ad essentiam pertinet, quæ non mutatur per collectionem; ergo si singulæ causæ sunt incompletæ et insufficientes, tota series est incompleta et insufficientis (1); ergo nisi recurratur ad aliquam causam huic seriei extrinsecam, quæ ejus existentiam determinet, series hæc, etsi permittatur infinita, nunquam exsistere poterit; porro causa hæc, debet esse á se existens, sibi sufficiens, ab omni alia independens, secus rediret primum argumentum; ergo sine causa prima et necessaria repugnat series infinita causarum contingentium.

Supponatur, v. gr., catena ex alto pendens longitudinis incognitæ. Unusquisque videt, nullum catenæ annulum esse per se sufficiens ad sustentandum se. Hinc deducimus, catenam illam non posse ita ex alto pendere, nisi ab aliqua vi ponderi proportionata sustentetur. Nonne se præberet egregie ridiculum, qui assereret, hoc utique verum esse si catena ponatur longitudinis finitæ, non vero si ponatur infinitæ? Atqui hæc est atheorum sapientia.

24. *Obj.* I. Dei existentia demonstrari nequit. Quidquid enim demonstratur, demonstratur per aliquid ipso prius; atqui Deus est primum ens; ergo etc.

Resp. Nego ant. Ad prob. Dist. maj.; demonstratur

(1) Huc facit paritas illa: si duo vel tres pauperes sunt sibi insufficientes, nonne ridiculum foret asserere, infiniti si fiant, fore collectionem hanc sibi sufficientem?

per aliquid ipso prius *cognitum, trans.*; per aliquid ipso prius *existens, nego*. Ex notione enim effectûs ad cognitionem causæ possumus pervenire. *Contradist. min.*; Deus est primum ens, seu prima veritas metaphysica, sive, ut ajunt, in essendo, *conc. min.*; est prima veritas logica, seu prima veritas à nobis cognita, *nego, vel trans.* Nan etiamsi esset prima veritas cognita, demonstrari tamen posset iis, qui ipsam negant, videlicet assumendo tanquam medium demonstrationis illud, quod adversarii admittunt.

Inst. 1.º Inter res creatas et Deum nulla est proportio; ergo ex rebus creatis Deus demonstrari nequit; etenim si daretur connexio necessaria inter ens contingens et ens necessarium, tunc ens contingens necessario existeret; atqui hoc repugnat; ergo etc.

Resp. Dist. ant. Nulla est proportio in genere *entitatis, conc.*; in genere *connexionis, nego*. *Ad prob. Dist. maj.*; si daretur connexio necessaria necessitate *absoluta antecedenti et ex parte entis necessarii*, quæ efficeret, ut posito ente necessario, poni etiam deberet ens contingens, *conc. maj.*; si daretur connexio necessaria necessitate *hypothetica, consequenti et ex parte entis contingentis*, quæ efficit, ut posito ente contingente, poni etiam debeat ens necessarium, sed non vice versa, *nego*.

Inst. 2.º Si ab existentia entis contingentis concluderetur existentia entis necessarii et infiniti, aliquid majus in conclusione esset, quam in præmissis; atqui legitima conclusio nihil majus continere potest, quam præmissæ; ergo etc.

Resp. 1.º Retorqueo argumentum. Si ab existentia infantis concluderetur existentia matris; si ab existentia horologii concluderetur existentia opificis; si ab existentia ovi concluderetur existentia gallinæ; etc. etc. aliquid majus in conclusione esset, quam in præmissis; atqui... ergo...

Resp. 2.º Nego maj. Quando ab existentia entis con-

tingentis deducitur existentia entis necesarii, nihil in conclusione continetur, quod in præmissis non fuerit expressum. Nam demonstratio existentiae entis necesarii ab existentia entis contingentis ad hoc ratiocinium reducitur: *Non datur effectus sine causa; atqui existit effectus*, nempe *ens contingens*; ergo *existit causa*, nempe *ens necessarium*. Jam vero, quis terminus reperitur in conclusione, qui in præmissis non sit expressus? quis terminus sumitur latius in conclusione, quam in præmissis?; ergo etc.

25. *Obj. II.* Series illa infinita nullam implicat contradictionem; ergo etc.

Resp. Nego ant.

Prob. ac 1.º Series causarum sine causa ultima non repugnat; ergo neque sine prima.

Resp. Dist. ant. Non repugnat successive, *trans* vel *conc*; actu, *nego*, et *nego cons.* et *paritatem*. Nam series sine causa ultima neque est, nec potest unquam fieri actu infinita; ac præterea habet causam adæquatam in Ente necessario. At series atheorum ponitur actu infinita, et ab Ente necessario independens.

2.º In hac serie singuli termini sunt possibles; ergo et tota series. Collectio enim hæc singulorum possibilitatem non tollit.

Resp. Dist. ant. Sunt possibles *extrinsece*, *nego*; *intrinsece*, *subdist.*, seorsim sumpti, *trans.*, collective sumpti in serie infinita, *nego*. *Nego* insuper *consequentiam*. Nam possibilitas intrinseca singulorum á possibilitate intrinseca seriei infinitæ existentis est aliquid omnino diversum. Possibilitas enim intrinseca singulorum sita est in notarum, quibus singula entia constituuntur, sociabilitate; possibilitas vero infinitæ collectionis contineretur in sociabilitate ideæ multitudinis existentis cum idea infiniti. Igitur quemadmodum á possibilitate unius entis non possumus deducere possibilitatem alterius entis, quod notis diversis constet; ita á possibilitate hujus et alterius en-

tis colligere nequimus possibilitatem multitudinis hujusmodi entium actu infinitæ.

Ad rat. add. Dist. Ita ut per hoc possibilitatem ipsa collectio non adquirat, *conc.*; ita ut adquirat, *nego*. Adde, quod data quoque intrinseca seriei possibilitate, ea esset adhuc extrinsece impossibilis; quia collectio non tribuit singulis entibus extrinsecam possibilitatem, quam sine Ente necessario non habent. Est autem iterum intrinsece impossibile, ut actu existat quod extrinsece impossibile est: repugnat enim effectus sine causa.

II. *Argumentum ex ordine physico.*

26. Argumenta ex ordine physico ea dicuntur, quæ ex rerum physicarum et naturalium, scilicet, orbis universi, et cujuscumque rei consideratione petuntur; ex objecto igitur, circa quod versatur, nomen istud accipiunt, non ex certitudine, quam pariunt, quæ profecto metaphysica est. Hocce argumentum qui copiosius velit pertractare, illi cunctæ physicæ et naturales scientiæ, Physiologia, scilicet, Physica, Astronomia, etc. sunt percurrendæ. At nobis, qui compendio studemus, satis sit existentiam Dei ex ordine mundi generatim spectato comprobare.

27. Ecce argumentum. Ordo est: *Apta mediorum ad aliquem finem dispositio*, seu: *Parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio* (1); unde idea ordinis tria complectitur: 1.^o finem: 2.^o media apta: 3.^o intelligentiam, quæ et finem intendat et media apta eligat. Ordinem existere vere extra mentem seu á parte rei omnino evidens est. Jam vero ubicumque apparet certa dispositio et ordinatio in finem, ibi mens aliqua adsit necesse est, disponere enim et ordinare rationis opus necessario est. Nemo autem, nisi plane sit cæcus, negare potest, quin mirificus

(1) Cons. Ont., Disp. 10., núm. 136.

sit ordo rerum in hoc universo; quisque enim perspicit, res ipsas ratione carentes suos per aptissima media consequi fines. Et profecto si infimæ sortis Phylosophus, ac prorsus non stupidæ mentis homo universum intueatur, fieri non potest, quin statim percipiat ex recta partium concatenatione, fuisse productum á causa, quæ sit maxima sapientiâ ac ratione prædita, neque somniare poterit, fortuita corporum concursione fuisse compactum: tanta enim est eorum, ex quibus adspectabilis hic mundus textitur, venustas et elegancia, apta et cohærens inter se omnium partium proportio: tanta tamque constans dissimilium contrariarumque rerum societas, convenientia et harmonia, hisque omnibus et singulis tanto consilio concreditum munus suum est et præceptus finis, ut absolute impossibile sit quod homo sanæ mentis non evidenter perspiciat ac agnoscat causam auctricem ac moderatricem tanti artificii, tantæ tamque admirabilis dispositionis, ordinis ac pulchritudinis; atqui hujuscemodi effectrix ac moderatrix causa est infinitæ sapientiæ, intelligentiæ, potentiæ, bonitatis etc.; hæc autem est Deus; ergo Deus existit.

Hoc argumentum, quod ita in universum consideravimus, construi potest super unaquaque re vel ejus parte, præsertim homine, qui in se, veluti in parvo ornatissimo tamen mundo, apertissimum argumentum præfert infinitæ sapientiæ sui Conditoris, ad quem fruendum factus, nulla re finita exsatiari potest. Item ex animalium instinctu, et ex sapientissima distributione generum, specierum ac sexuum etc. (1).

(1) «Quis enumerat saltem generatim testimónia Dei? Cælum, et »terra, visibilia, et invisibilia opera ejus dicunt quodammodo testimonium »bonitatis, et magnitudinis ejus; et ipse cursus frequens, usitatusque »naturæ, quo temporum rapacitas volvitur, in rerum quarumque »neribus quamvis temporalibus atque mortalibus, quæ certe consuetudine viluerunt, si pius considerator advertat perhibet testimonium »Creatori.» S. P. Aug. *Serm. 27. in Ps. 118.*; Cons. Conf., l. X. c. 6.

28. Roboratur argumentum hac triplici comparatione.

1) Unam affert Tullius (1): quilibet, cum in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, statim intelligit esse aliquem, qui præsit, et cui pareatur. Jam vero si nec domum, nec horologium, nec librum sine causa intelligente et ex consilio operante fieri potuisse existimamus; mirandæ hujus habitationis nostræ architectum, hujus machinæ adeo complexæ inventorem et servatorem, hujus libri, in quo tantæ sapientiæ consilia legimus, auctorem intelligentem non fuisse, quis putet?

2) Alterum producunt Grechius Censura (2) et Antonius Le-Grand (3) ex Sphæra Archimedis et Machina Protagoræ, quas nemo sanæ mentis dixerit fortuito natas, non arte ingenioque perfectas; quid plura? Jam vero si florem, si arborem, si equum, si hominem depictum in tabula, aut ex marmore, vel cera sculptum videmus, statim de pictore aut sculptore cogitamus, ejusque laudamus peritiam; nonne igitur agnoscemus artificis sapientissimi opus fuisse ipsos flores, ipsas arbores, ipsa animalia, præsertim hominem, quæ ante oculos nostros mirabili ordine ac regularitate perpetuo vigent ac renovantur?

3) Proferunt tertium Philo (4) et S. P. Augustinus (5) ab eo, qui in civitate, vel exercitu leges optimas, cives, milites, plebem in suo ordine videns, non dubitat, quin civitas

(1) *De natura Deorum*, lib. 2. «Si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus operosa, et multo quidem faciliora? Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum suspexisse videantur.»

(2) *In lib. 2. Lucretii.*

(3) *Philosoph.*, P. 2. c. 4.

(4) *Lib. 1. de Monarchia.*

(5) *De Civ. Dei*, lib. 2. c. 4.

â Principe, et exercitus ab Imperatore regatur. Jam vero si eximiæ intelligentiæ laudem sibi compararet qui, quod nemo adhuc fuit, totum mundi ordinem, rerumque relationes, ac leges naturæ universæ explicaret; quantæ demum sapientiæ fuerit, hunc ordinem, has relationes ac leges excogitasse, constituisse atque ita temperasse, ut finem suum constanter assequerentur? (1).

Difficultates.

29. *Obj. I.* Si supponantur in materia vires quædam stabiles et constantes, jam redditur ratio ordinis et dispositionis diversæ mediorum in finem; ergo etc.

Resp. 1. Ante omnia supponenda est materiæ existentia ac virium. Materia autem non potest â se existere, neque vires et motus sunt ei essentielles; ergo ante omnia supponenda est existentia summi rerum Creatoris, ac primus motor immobilis.

Resp. 2. Dist. Si supponantur etc. hæ quædam vires et simul Causa summe intelligens, quæ has vires constituat, definiat, disponat ac dirigat, *conc. ant.*; vires tantummodo materiæ essentielles, et nullum aliud agens præter eas, *nego.*

Athei et materialistæ et verbis ludunt et in contradictiones et falsa supposita passim incurrunt, dum supponunt et materiam â se existentem, et motum sine primo motore, et naturam quamdam imaginariam, quæ vel nihil est, vel est ipsa rerum universitas et incurrunt in peti-

(1) Chrysost. *In Psal. 13.* «Non est fundamentum; et quomodo stat ædificium? non es carina; et quomodo consistit navigium? non est fabricator navis; et quomodo navis compacta est? Non est ædificator; et quomodo domus facta est? non est architectus; et quis urbem condidit? non est agricola; et quomodo agri tulere manipulum? non est musicus; et quomodo in mundi lyra apparet concentus...?»

tionem principii, vel est primum rerum omnium Creator ac moderator, et tunc quæstio erit de nomine, Deum autem jam agnoscunt.

Inst. Varietas effectuum oritur ex diversitate causarum, et istæ differunt, quia non habent eandem essentiam, easdem proprietates; ergo etc. Deinde cum isti effectus ex essentia causarum procedant necessario constanti et invariabili lege fiunt; ergo etc.

Resp. Nego consequ. Non quæritur, utrum diversæ sint causæ, sed utrum absque summa intelligentia potuerint hujusmodi causæ ordine constanti et invariabili effectus producere? Etenim proprietates illæ, quæ vulgo essentielles dicuntur aliter esse poterant, aliisque legibus subjici; ergo vel hanc determinationem, directionem et constantiam habuere á casu fortuito, quod absurdum est, vel ab Ente intelligente ab ipsis distincto; et tunc supponunt Deum. Hinc

Ad 2.^m patet responsio. Licet enim effectus et eorum ordo dicantur ab essentiis causarum profluere, non tollitur necessitas Entis summe intelligentis et tribuentis virtutem causis secundis, ut constanti, mirabili et universali lege operantur; siquidem necessitas ista ex hujusmodi essentiis profluens, est tantum hypothetica, cum nulla absoluta contradictio de opposito habeatur; ergo constans et ordinata earum actio nonnisi á voluntate causæ ordinantis desumi potest.

30. *Obj.* III. Nulli habentur fines intenti et subordinati in rerum universitate; nam finales causæ inventæ sunt ex ignorantia causarum physicarum; ergo etc.

Resp. Nego ant. Ut gratuitum assertum. *Ad prob. nego pariter ant.* Nam quo perfectior naturæ physicæ investigator quis fuerit, eo plura Divinæ Sapientiæ indicia deprehendit; siquidem plures relationes mutuæ deteguntur; ac proinde plures causæ finales. Hinc etiam patet falsitas assertionis Buffonii, qui contendit, adesse forte inter

entia minus partium relativarum, utilium et necessariarum, quam indifferentium, inutilium et superabundantium; etenim ex eo quod entis cujusdam particularis utilitatem vel relationem ad alia non intueamur, non sequitur, eas, quæ sunt, abesse; sicut ex eo quod omnes physicas causas non cognoscamus, non sequitur, eas, quæ a nobis cognoscuntur, non existere: imo entium ordinem et nexum contemplantes clare perspicimus, quod si quælibet species, vel quæ inutilior videtur, annihilaretur, totus mundi ordo et harmonia necessario corruerent, et everterentur.

31. *Obj.* III. Inter posibles combinationes, quæ a tota æternitate factæ sunt vel fieri poterant, hæc, quæ omnia mundi entia colligit, continebatur; ergo etc.

Resp. Dist. ant. Si ab ente intelligente hæc entia creata, mota, directa ac moderata fuere, *conc.*; secus, *nego*. Quocumque se volvant athei in falsa supposita vel palmarias contradictiones incidunt. Cons. Cosmolog. *Disp.* 4.^a n. 90 seq.; *Disp.* 6.^a §. II. n. 131. seq.

III. Argumentum morale.

32. «Quum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus, intelligi necesse est, esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo enim omnium natura consentit, id verum esse necesse est (1).»

33. Jam vero unanimes fuerunt omnes populi in admittenda Divinitate; atqui hic unanimis consensus invictum est Divinitatis existentiae argumentum; ergo Deus existit.

Prob. maj. Quocumque migremus et peregrinemur, occurrunt quidem nationes indole, moribus, culturâ, opi-

(1) Cicero, *De natur. Deor.* Lib. 1. c. 17.


nionibus minime concordēs; in agnoscenda autem Numinis alicujus supremi existentia unanimiter ac semper consentientes. Hujusce facti historici evidentiae omnimodam fidem faciunt tum auctores fide dignissimi, tum historici, tum monumenta.

I.) *Auctores fide dignissimi.* In Jonica secta asseruit Mentem procreatricem rerum omnium Anaxagoras, imo ante illum idem tradiderant Thales et Xenophanes (1): Pythagoras cum universa schola Italica Deum agnovit in se totum, mundique Opificem: Plato pro rei dignitate de divina natura in *Thimæo*, *De legibus*, lib. 10., aliisque commentariis disseruit, eumque sequuti sunt Speusippus, Maximus Tyrius, Plotinus, Jamblicus, Proclus, Apulejus cæterique Platonici: primam causam assecutus est Aristoteles et ipsius discipuli (2): Socrati hujus veritatis confessio mortem attulit; Antisthenes Cinicorum, et Zeno stoicorum principes hanc doctrinam sequacibus suis tradiderunt: Poëtæ, Homeri *Carmina*, ubi Phœnis Ulyssem affatur, recitat in sua *Apologia* Justinus Martyr: Hesiodus et Orpheus cantus populares Numini concinnarunt (3); Virgilius in *Minucium*; Lucanus in *Pharsalia*; Horatius, lib. III. *carm.* 4.; Ovidius, in *Metamorphoseon*. Apud Philosophos Romanos Tullius multis in locis: v. gr. *De legibus*, lib. 1. c. 24. «Animal nullum est, ait, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. At inter homines gens nulla est tam fera, quæ non sciat Deum esse habendum, etiamsi ignoret qualem habere deceat.

(1) Cicero, *De natura Deor.* Lib. 1.; Philo Judæus, *De mundo incorruptibili*; Plutarcus, *De placitis Phil.* lib. 1. c. 3.; Laetius, *De vita phil.* lib. 1.; S. P. Aug., *De civ. Dei*, Lib. 8.

(2) Fortunius Licetus, *De Pietate Aristotelis erga Deum et homines*. Patavii 1620.

(3) Eugubinus, *De peremni philos.*, Dionysius Petavius, *Lib. 1. c. 3.*



»Quoniam vero, in re omni, consensio firma gentium omnium vox naturæ est et argumentum veritatis, confitendum est numen aliquod divinum esse (1);» et «Quis est tam vecors qui, quum suspexerit in cœlum, non sentiat Deum esse (2)?» Hujus insignis Oratoris philosophi testimonia de Divinitate passim invenietis in ejus operibus *De natura Deorum*; *De Divinat.*; *De Harusp.*; *Quæst. Tusc.*; Plutarcus vero contra Colotensem Epicureum: «Si terram, inquit, obeas, invenire possis urbes muris, literis, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias; urbem templis Diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculis non putatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit.» Et Seneca: «Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens unquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat...» Consuetudo disputandi contra Deos est mala et impia, sive id fiat serio, sive simulate. Itaque quum Prothagoras, sophista maximus temporibus suis, posuisset in principio libri cujusdam se dubitare an Dii essent, jussu Atheniensium exterminatus est ex urbe eorum atque ager, librique ejus combusti sunt in concione. Ferunt quoque talentum argenti (3) fuisse propositum præmium ei, qui illum occidisset. Sic etiam dubitatio de Diis non potuit poenam effugere (4).» Ipsemet Lucretius, Deorum hostis infensissimus, Epicurum laudat quod existentiam Deorum primus hominum fuerit aggressus sic scribens (5):

(1) Idem habet *Tuscul. Quæst.* lib. 1. c. 30.

(2) *De Harusp.*, resp. 9.

(3) Talentum argenti tunc temporis æquivalet 1150 uncias argenteas nostras.

(4) *Senec. Epist.* 117.; eadem habet Cicero, *De nat. Deor.*, lib. 1. c. 29.; *Diod. Sicul.*; l. 3.

(5) *Lib. 1. De natura rerum*, c. 67.

*Primus Grajus homo mortales tollere contra (Deos)
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.*

II.) *Historici omnes ac viatores.* Ut de Moyse taceam, quicumque tum de veteribus populis, tum de recentius cognitis notitiam tradidere, eorum quoque numina ac religiones memorarunt, non solum obiter et per occasionem, sed quotiescumque eorundem mores, instituta, leges descripsere. Penes omnes populos reperiuntur ritus aliqui sacri, auguria, sacrificia, dies festi, et aliqua sollemnis Numinis alicujus invocatio ubique viguit. Si qui vero extiterunt viatores, qui de nonnullis populis aliter testati sint, eos jure dixeris, quadam atheismi specie fuisse deceptos, quod nulla ibidem templa fieri sacra conspexerint; tamen nihil hoc probat, quia nonnulli viatores ne minimam fidem merentur, tum quia scribunt de populis et regionibus, quos ut plurimum á longe viderunt; tum quia cursim et minime edocti linguam illorum populorum per eos peragrarunt, et deinde simulata scientia de horum moribus, sentiis etc. longos sermones faciunt; alii siquidem prudentiores viatores non obscura indicia detexerunt de communi consensu in admittenda existentia superioris Numinis.

III.) *Monumenta.* Ubique terrarum leguntur templa et altaria erecta, dies festi instituti, sacerdotes electi, loca sacra, ritus, quibus Numen colebatur, vasa omnis generis. Hieroglyphi, statuæ aliæque multorum templorum ruinæ idem testantur de populis, quorum non supersunt historiæ.

His accedit vivum linguarum monumentum. In omnibus enim linguis voces inveniuntur, quæ Ens supremum significant, et ad Numinis cultum referuntur (1). Manet igitur probata *major*, quæ factum continet.

(1) Merito inquit Petrus Daniel Huetius Episcopus Abrincensis:
•Consentientes habemus potissimum eas gentes, quæ aliquam ab in-

34. *Prob. min.* scilicet, consensus populorum unanimis in admittenda Divinitate invictum est et peremptorium existentiae Dei argumentum.

Ac primo: Hic unanimis, constans et universalis consensus causam proportionatam, id est, unam, constantem et universalem habeat necesse est, siquidem consensus est unus, est constans et est universalis. Atqui hæc causa non potest esse alia, quam ipsamet Dei existentia; ergo etc.

Major patet. Etenim ratio humana ex natura sua ad verum tendit, nec unquam potest falsum apprehendere ut verum, nisi aliqua causa intersit, quæ eam in transversum agat, quod si hoc accadat aliquando, nunquam error erit patrimonium commune et vox omnium, neque constans (1), et veluti effectus necessarius rationalis naturæ (2)

Prob. minor. Causæ hujuscemodi consensûs constantis, unanimis et universalis non possunt esse aliæ, quam ipsamet Dei existentia. Etenim 1.^o causæ ejusmodi omnes continentur tandem in influxu voluntatis, quæ variis affecta inclinationibus, desideriis, cupiditatibus suis ad

»genio et elegantiori cultu duxerunt commendationem, Romanos,
»Græcos, Ægyptios, Assyrios, Chaldæos, Persas: qui ignem et solem,
»non ut Deos, sed ut supremi Dei, rerum omnium principii, et auctoris
»imaginem coluerunt; Brachmanes, quæ Indicæ gentis, Sinenses, quæ
»orientis totius cultissima pars est, inter quos secta quædam summum
»Mundi opificem Tao appellat, nomine, uti conjicio, ab Ægyptiorum
»Theuth deducto.» *Questiones Alnetanarum, De concordia rationis et
fdei., Lib. 2. c. 1.*

(1) Cons. *Log. Lect.*, 45.^a n. 366.—367., pag. 304.

(2) Merito ait Cicero: «Nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse... opinionum enim commenta delet dies; naturæ judicia confirmat.» *De natur. Deor. Lib. 2.*

illud iudicium de Dei existentia impelleret; quæ tamen omnia non solum insufficientia prorsus sunt, sed potius vel ad oppositam sententiam traxissent; quia huiusmodi existentiae Dei persuasio est hominum cupiditatibus adversa et onus valde molestum et grave: vel certe in varias opiniones genus humanum distraxisset; etenim uniuscujusque cupiditates, studia, inclinationes, etc. diversissimæ sunt.

35. 2.º Huiusmodi persuasio de Dei existentia non habuit originem, ut sophistæ autumant:

I. *Ex ignorantia causarum naturalium.* Etenim rerum physicarum peritissimi eandem existentiam acrius tumentur; qua in re verissimum est illud Baconis: «Philosophia obiter libata movere fortasse potest ad atheismum, »penitus hausta reducit ad religionem (1).» Athei, quoniam nos ignorantia accusant, explicant nobis rerum omnium originem, ordinem et pulchritudinem, sine prima omnium causa et ordinatore sapientissimo. Quid? Series infinita producentium et productorum, sine primo productore improducto; ordo, sine ordinatore; casus fortuitus? Præclaræ res et strenuæ! tanta scientiæ luce hominibus affulgente, opinio de Dei existentia evanescere debuisset. Atqui nihilominus eo firmior facta est, quo magis populi culturâ humanitatis et rerum naturalium cognitione profecerunt.

II. *Non ex sacerdotum et legislatorum fraude.* Nam sacerdotum institutio non solum Dei ideam, sed Dei quoque pervulgatum et publicum cultum supponit. Legislatores autem si hanc fabulam confinxissent, quâ factum est, ut omnibus in toto orbe æqualiter in mentem veniret, et cum æquali ubique successu propagaretur? Sane religio à legislatoribus conficta gravissimum onus foret hominibus impositum; putamusne tam molesto medio populos ad subjectionem compelli posse? E contrario legislatores, cum

(1) *De Augment. scient., Lib. 1.*

viderint plebem ad religionem propensissimam, Deorum, quos ipsa ante venerabatur, auctoritate leges suas constabilire adlaborarunt. Denique, cur hæc imperantium fraus á sapientiori aliquo detecta nunquam fuit? (1) Quare numquam societas atheorum possibilis fuit? Dei igitur cognitio antiquior est omnibus legislatoribus.

III. *Non timor aut metus Deos confinxit* (2). Nam 1.^o si ita esset; ergo in solis meticulosis, in solis pueris atque mulierculis Dei notio inveniri deberet, non item in iis, qui constantem impavidumque animum gerunt. At contrarium experientia docet. Nam ii maxime Deum timere solent, quos *si fractus illabatur orbis, impavidos ferient ruinæ*.

2.^o Nunquam timor ideam Dei in hominum mentibus ingenerare potuisset, nisi jam ipsi imbuti essent notionibus justi et injusti, ac proinde notione supremi legislatoris, qui injustas actiones prohibet, atque ab illas patrantibus pœnas repetit. Hinc patet, timorem esse religionis effectum, non causam (3). Quinimo timor atheismum induxisse potius dicendus est; nam scelesti homines, ut, excusso timore, liberius peccarent, sibi persuadere conan-

(1) Merito de hocce sophismate ait Lactantius, (*De ira Dei*, c. 10): »Quod si fallendi legislatores nostri atque adeo totius generis humani »causa commenti sunt religionem, quæ tanta felicitas mentiendi, ut »non tantummodo indoctos, sed Platonem quoque ac Socratem fallerent, »et Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, maximarum sectarum principes deluderent?»

(2) *Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo*

Fulmina cum caderent. Petronius, *Fragmenta*, pag. 676. edit. Burmam.

(3) Scimus atheos præ cæteris omnibus timere. Præclare Tullius de Epicuro ait: »Nec quemquam vidi, qui magis ea, quæ timenda »esse negaret, timeret; mortem dico et Deos.» *De Natur. Deor.*, lib. 1. c. 79.

tur nullum esse Deum flagitiorum vindicem. Insuper si timor esset in causa cur notio existentiae Dei apud omnes vigeret, Deum sibi repræsentarent, non ut patrem providentissimum ac beneficum rerum auctorem, populi non colerent Deum conviviiis, spectaculis, diebus festis etc. etc. non ei obtulerent sacrificia in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis etc., sed sibi eum repræsentarent ut monstrum terribile et exosum fulminibus semper stipatum atque procellis.

IV. *Non á præjudicatis opinionibus aut educatione.* Etenim nullus prorsus præjudicii character in persuasione de Dei existentia adest; sed contraria prorsus omnia obtinent. Præjudicia enim in quibusdam nationibus, nunquam in toto genere humano eadem inveniuntur; diuturnitate temporis et scientiarum culturâ majus robur non accipiunt, sed evanescent; nunquam constantes, unanimes et permanentes inveniuntur; á sapientibus persæpe agnoscuntur, et agnita corriguntur, maxime si passionibus et cupiditatibus molestæ sunt. Idem dicendum de educatione, quæ penes diversos populos diversa est, penes quosdam nulla. Igitur consensus universalis, constans et indelebilis de Dei existentia, *de qua omnium ubique terrarum natura consentit*, non aliam causam habere potest, quam ipsammet Dei existentiam, quæ omnibus mentibus affulget (1).

(1) Præclare ad rem ait Enrr. Dom. Lacordaire (Confer. año 1848. conf. XLV.): «Es Dios en el mundo el mas popular de los sêres, mientras el panteismo es un sistema puramente científico. El labrador en medio de los campos, apoyado en un instrumento de labranza, levanta sus ojos al cielo y dice el nombre de Dios á sus hijos por un movimiento tan sencillo como su alma. Llámale el pobre, invócale el moribundo, el perverso le teme, el hombre de bien le bendice; los reyes le dan sus coronas; los ejércitos le colocan á la cabeza de sus batallones; la victoria le da gracias; la derrota busca en él auxilio;

35. Confirmatur hæc eadem conclusio.

1.º Altissimas in humana ratione radices necesse est ut habeat illa persuasio, quæ ex perpetuo examine firmitior semper evasit; quæ cum morum humanitate et ingeniorum cultura crevit; quæ scientiæ suffragiis confirmata est; cujus adversarii omnibus fuerunt semper exosi. Atqui talis est persuasio de Divinitatis existentia; ergo etc.

2.º Magnum robur quoque accedit argumento, si consideramus illa validissima impedimenta, quæ hanc persuasionem in animis hominum labefactare, imo etiam eradicare ex iis potuissent. Hujusmodi sunt barbaritas multarum gentium magnaue vitia, propensio ad res sensibiles, molestia et onus, quod hæc persuasio infert cupiditatibus, turpissima polytheismi commenta etc. Quibus consideratis ecce validissimum argumentum.

»los pueblos se arman con él contra sus tiranos ; no hay un lugar , un
»tiempo, una ocasion, un sentimiento en que no aparezca y no sea nom-
»brado Dios. El amor mismo tan seguro de su encanto, tan confiado en
»su propia inmortalidad, no se atreve á pasarse sin él, y viene á
»los pies de sus altares á pedirle la confirmacion de las promesas que
»ha jurado tantas veces. La cólera cree no haber llegado á su espresion
»suprema sinó hasta que ha maldecido este nombre adorable, y la
»blasfemia es aún un homenaje de una fé que se revela olvidándose. ¿Que
»diré del perjurio? Ved á ese hombre que se halla en posesion de un se-
»creto de que depende su fortuna, su dicha; él solo lo conoce en la
»tierra; él solo es su juez. Pero la verdad tiene un cómplice eterno en
»Dios; llama á Dios en su auxilio, pone el corazon del hombre en lucha
»con el juramento, y el mismo que sería capaz de violar su magestad,
»no lo hará sin un temblor interno, como ante la accion mas vil y mas
»violenta. Y no obstante ¿que hay en esta palabra, *juro*? Nada mas que
»un nombre, es cierto, pero es el nombre de Dios. Es el nombre que
»han adorado todos los pueblos, á quien han alzado templos, consa-
»grado sacerdocios, dirigido plegarias; es el nombre mas grande, mas
»santo, mas eficaz, mas popular que haya recibido la gracia de pro-
»nunciar el lábio del hombre.»

Maxima sane esse debet evidentia illius judicii quod non obstantibus gravissimis difficultatibus, tam internis, quam externis, in omnium hominum mentibus constantissime inhæsit. Atqui tale est judicium humani generis de Divinitatis existentia. Ergo, etc.

Solvuntur difficultates.

37. *Obj.* 1. Non magis ex unanimi populorum consensu probari potest Deum exsistere, quam *plures* exsistere *Deos*, et idololatriam esse admittendam; sed postremum est absurdum; ergo et prius.

Resp. Videsis *Log. Lect.* 45.^a n. 370.; pag. 305. *Nego ant.* Hæc plurium Deorum et idololatriæ opinio seu error: 1.^o non erat *universalis*, cum in orbe fuerint filii Dei ac postmodum Hebræi, majoribus mundi imperiis cogniti, gentiles ipsi Philosophi ac prudentiores, uti Job, qui Deum unum profitebantur aut interius saltem agnoscebant. Manifestum est quid hac in re senserint Thales, Socrates, Plato, Pythagoras, Cicero, Seneca aliique, quos inter ipse Orpheus canebat:

Unicus est per se existens, qui cuncta creavit,
Inque his ipse extat; nulli ex mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

2.^o Non fuit *constans* iste consensus, tum quod per plura orbis primum conditi sæcula ab hoc errore genus humanum immune vigerit; tum quod insania idololatriæ jam per sæcula plura evanuerit, adeo ut vix ullæ reliquiæ apud incultos et sylvestres tugurios inveniuntur. 3.^o Non erat *uniformis*, nec sine præjudiciorum manifestis fontibus enata. Idea enim alicujus numinis superioris et provisoris decernentis bona et mala hominibus per naturale lumen rationis facile percepta, deinceps tum sensuum, tum imaginationis, tum cupiditatum adminiculo, accedentibus etiam causis er-

rorum externis, depravata fuit (1). Hinc non æqualis ubique Deorum erat numerus, non iidem Dii: 4.^o Non erat *profeta ex recto rationis usu*; cum plurima erant in idololatriæ professione, quæ evidenter errorem ostenderent, ut infra breviter videbimus, si iis mens vel leviter attendere voluisset. Nihil ejusmodi habetur in opinione de Dei exsistentia, quæ vel ex ipsa idololatria ostenditur, tanquam aliquod fundamentum naturaliter quidem cognitum; sed male in usu applicatum et depravatum. Etenim, etsi polytheismus secundum se idem sit ac nullitas Dei: *pluralitas Deorum*, ut ait Tertullianus, *nullitas Deorum est*, non ita in opinione gentium cui in causa fuit ipsa Divinitatis idea, in quam naturâ ipsâ duce, omnes populi conspirarunt.

Obj. II. Consensus ille generis humani in agnoscenda Divinitate dici nequit universalis; ergo male ex eo arguitur.

Resp. Dist. ant. Dici nequit universalis *metaphysice, trans.; moraliter, nego*. Dixi *transeat*, etenim probari ratione potest, nullum esse hominem ratione utentem, qui aliquam esse Divinitatem, seu causam primam naturaliter non agnoscat (9). At consensus moraliter universalis sufficit ad argumentum (Log. Lect. 45.)

Inst. Sed neque moraliter universalis est ille consensus; ergo etc. Et *prob.*; etenim testantur plurus scriptores ac viatores, exstitisse antiquitus et nunc etiam exstant non solum quidam philosophi, sed populi integri, qui nullam supremi Numinis notionem habent; ergo etc.

Resp. Nego min. subsumpt. Ad prob.; nego 1.^o ant. Viatorum enim omnium relationibus non facile adhibenda est fides, et quidem varias ob causas: 1.^o quia multi apud populos remotissimos non satis diu commorati sunt, ut veros eorum de Divinitate sensus exploratos haberent: 2.^o quia

(1) Sap. c. 13.

ipsorum idioma non callebant, nec proinde cum iis sermonem conferre potuerunt. Inde factum est, ut multi populi olim in ignorati Dei suspensionem venerint; postea vero qui eorum linguam assecuti sunt, apud ipsos alicujus Numinis notitiam deprehenderint, sed variis fœdatam superstitionibus. Nonne atheismi à *Christophoro Colomb* accusati sunt Canarienses? et tamen unum Deum virtutis remuneratorem, et scelerum vindicem agnoscunt, ut testatur illarum insularum historia. Nonne atheismi suspicione laborabant insularum Antillarum Caraibæ? atqui tamen alium Deum tanquam boni principium colunt, et alium mali auctorem, cui præsertim sacra faciunt (1) Nonne Brasilienses infamati erant, quasi nullum colerent Numen? atqui tamen Deum venerantur, quem *Tupa* nuncupant (2). 3.º Solâ hâc ratione sæpe nituntur viatores, quod apud illas gentes nulla templa, nulla altaria, nec publica sacrorum ministeria viderint: atqui fieri potest ut populus nulla templa habeat, et tamen Dei notione penitus non careat. Nec mirum videri debet, quod nullum templum apud illos homines barbaros exstiterit, qui vagi et palabundi, sine civitate, sine lege vivebant.

Resp. 2.º Nego conseq. Etiam si enim concederetur, quosdam esse barbaros nullâ Dei cognitione imbutos, nihilominus dici posset, eam apud omnes gentes obtinere. Illi quippe homines, qui comparate ad universum genus humanum sunt paucissimi, pro nullis reputari debent, non secus ac infantes et amentes. Apud ipsos enim nondum evoluta est ratio; neque enim aliæ fere in iis vigent functiones quam animales. Sicut ergo male quis concluderet non esse naturale homini ab injuriis temporum sese

(1) Rochefort, *Historia moral de las Antillas*, cap. 13-14.; Dutertre, *Historia natural de las Antillas*, tom. 2.º pág. 365.

(2) Lact., *de orig. gent. Americ.*, pág. 193. Marggraff, *de Brasil*. Reg. cap. 9.

defendere ope tectorum et domiciliorum, eo quod homines, feri sylvarum incolæ, instar pecudum errantes, de tectis parum curent; sic etiam perperant colligeretur non esse homini naturale supremum quoddam Numen agnoscere, eo quod homines paucissimi, iique feri et barbari, cognitionem hanc aut nondum acceperint, aut sibi á natura insitam non deprehenderint (1).

38. Accedunt ad demonstrandam summi Dei existen-

(1) Eamdem hanc difficultatem sibi objicit, sicque diluit Poeta gallicus :

Las florestas que cubren
Las tierras de las nuestras separadas
Por medio de unas mares dilatadas,
Dirán quizá que cubren
A otros hombres que nunca levantaron
Altares, ni á algun Dios sacrificaron.
Cuando viajeros poco conocidos
Con estas nuevas vienen ¿daré oídos
A hombres tantas veces infieles?
Y aun cuando fuesen fieles,
¿Cómo á los demás hombres yo opondría
Un errante salvaje, sin mas guía
Que la loca ventura,
Y que apenas es hombre en la figura?
¿Un pueblo desdichado
Por las selvas y bosques descarriado,
Sin Príncipes, ni Reyes,
Sin Ciudades, república ni leyes?
¿Cuán despreciables os mostrais impíos,
Cuando á estos insensatos vageantes,
Para prueba de vuestros desvarios
Los haceis á vosotros semejantes!
.
Si yo hallo en todo país cultos devotos,
Víctimas, Sacerdotes, templos, aras:

tiam quam plurima alia argumenta, nonnulla cursim enumeramus, quibus paulisper attendentes, facillime ea evolvētis.

Primum est quod sumitur ex illa æterna ac incommutabili lege, quæ summa ratio nominatur, quâque justum est ut omnia sint ordinatissima; unde lex naturalis universalis et absoluta omnium hominum cordibus insculpta, quâ justum et honestum ab inhonesto et injusto discernitur, quamque qui frangunt ab omnibus naturaliter reprobantur, et, patrato crimine, magno timore agitantur: *Testimonium illis, reddente conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus* (1), velut assidue domesticæque furie (2).

Jam vero lex naturalis, non scripta, *sed nata; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus* (3), necessario supponit Supremum legislatorem ac vindicem.

Alterum argumentum desumitur ex innato ac invincibili æterno vivendi desiderio; quod desiderium cum sit commune, ac proinde á natura insitum, vanum non est. At perennem vitam præstare non potest, nisi potentissima causa, nempe Deus; ergo existit Deus.

Tertium depromitur ex exiguo atheorum numero et ex

Subieron siempre al cielo nuestros votos
Y del incienso las fragancias raras.

Podemos, lo confieso, á los sentidos
Sujetos y rendidos,

Trocar de Dios la imágen verdadera.

Egipto á un buey inmundo culto ofrece;
Pero en él algun Dios cree que venera.

Poem. de la Relig., cant. I.

(1) Ad Rom., 2.—15.

(2) Cicero, *Orat. 2. pro Sexto Roscio.*

(3) Cic. *Orat. pro Milone, n. 19.*

ipsorum sceleratissima vivendi licentia, qui, seipsos ut ultimum suarum omnium operum finem constituentes, non aliam legem, nec domesticam, nec sociale, nec politicam habent, nisi utilitatem privatam, purum *egoismum*, cui omnia sacrificabunt.

Hinc ex exitalibus atheismi consecrariis aliud validissimum pro Dei existentia educitur argumentum (1).

39. SCHOLIUM. Ex iis, quæ hactenus disputavimus, luculenter patet, nullum esse hominem sanæ mentis, qui Deum esse serio negare possit. Conficiam hanc Disputationem illâ appositâ Ciceronis observatione: »Quid est igitur, ait ipse (2), cur dubitandum sit, quin sint ea, quæ »disputavi, verissima, si ratio mecum facit, si eventa, si »populi, si nationes, si græci, si barbari, si majores etiam »nostri, si denique hoc ita semper putatum est, si summi »Philosophi, si Poëtæ, si Sapientissimi viri, qui republi-

(1) Es de un Ser Soberano la existencia
Lazo social que al universo liga;
Un freno del malvado, á quien castiga,
Y un apoyo del justo á la inocencia.

Si en su esplendor y brillantez tan vario
El cielo manifiesta no la hiciese;
Si, lo que es imposible, Dios no hubiese,
Seria el inventarle necesario.

Anúncielo del sábio el puro celo:
Y vosotros, ó Reyes poderosos,
Si os burlais de mis llantos dolorosos,
Temblad; un vengador tengo en el Cielo.

Voltaire, Carta al autor del libro de los tres Impostores.

Ipsomet ait (*Homelie sur l' Atheisme*): El ateo falso, ingrato, calumniador, ladrón, sanguinario, razona y trata consecuentemente si está seguro de la impunidad por parte de los hombres. Porque no creyendo en Dios, este monstruo es el mismo su Dios; así inmola para sí todo lo que le sirve de obstáculo; etc.

(2) *De Divinat. lib. 1 cap. 39.*

»cas constituerunt, qui urbes condiderunt, an dum bestiae
»loquantur expectamus, et hominum consentiente auctori-
»tate contenti non sumus?»

40. OBSERVA. Atheorum tum actione tum corde talium fundamentum unicum est *cupiditas* oculorum et vitæ *superbia*, vitiorum omniun fœcunda radix; unde sibi persuadere, nullum Deum existere, non tam rationum momentis, quam depravatæ voluntatis imperio postremo machinantur. Equidem idem etiam sæpius est initium atheismi mente talis, si forte datur; nihilominus *mens male feriatâ* videtur fons ejus proprius ac verus. Invenire enim est homines sic comparatos, ut facile communis sententiæ momenta spernant amore novitatis et paradoxorum illecti; aut ut difficultatum mole opprimantur, quantumvis illæ nullæ sint, aut satis refutatæ. Inde autem fit, ut ad hypotheses ac systemata confugiant quantumvis absurdissima, modo novus ingenii partus veri speciem mentiatur potius quam habeat, aut difficultates prætensæ declinentur.

Porro inter systemata, quæ hac ratione videntur ab atheis conficta, tria sunt præcipua: *Primum* est *Epicuri*, qui nihil nisi materiam, seu atomos et corpora statuit (1). Ad hoc revocatur systema *Hermogenis*, qui sæculo secundo inter cæteras hæreses docuit materiam æque esse æternam ac Deum; et *Pythagoricorum*, qui materiam subtiliorem potentiâ faciendi omnia instructam tenuerunt. *Secundum* est *Berkelei*; Angli cujusdam recentioris, qui præter spiritus in hoc universo nihil admisit. Ad hoc pertinet systema *immaterialistarum* aliorum, aut potius diversa Berkeliani systematis expositio. *Tertium* est *Pantheistarum* sub diversis formis expositum á remotissimis temporibus usque ad hæc nostra tempora (2).

(1) Cons. Cosmol., Disp. 4.^a

(2) Hisce diebus, proh dolor! imprimitur Matriti liber, cui titulus: *Teoria de la inmortalidad del alma*. Auctore Juan Alonso y Eguláz, in

ARTICULUS SECUNDUS.

De Divina Essentia.

DISPUTATIO 3.^a—DE DIVINÆ ESSENTIÆ NOTIONE AC PERFECTIONIBUS GENERATIM.

41. Etsi Deus ut est in seipso per suam Essentiam videri á nemine possit, nisi per *lumen gloriæ* (1), et nisi Deus per se ipsum intellectui nostro se conjungat ac manifestet, quod erit in Patria, in qua *videbimus Eum sicuti est* (2); nihilominus tamen, etsi per *speculum* et in *ænigmate*, pro viribus conari debemus, ut debita cum reverentia, intueamur *quid Deus sit*, seu melius *quid non sit* (3).

Duplici viâ rationis viribus, postquam sub conceptu primæ causæ cognovimus Deum esse, á creatis rebus assurgimus ad cognoscendum *quid Deus sit*: viâ nempe *remotionis*, et viâ *affirmationis* per analogiam (*Idealog. n. 227.; Ont. n. 146 seq.*) Primâ illâ viâ Deo tribuimus ac de ipso affirmamus omnes perfectiones sive reales sive possibles, quarum ideam habemus; quoniam vero perfectiones, quas in rebus omnibus invenimus, limitationi saltem, vel aliis defectibus obnoxix sunt, hinc alterâ viâ

quo omnia paradoxa admittit, omnia rationabilia et evidentia negat illussus Auctor.

(1) Psalm. 35 v. 10.

(2) Joan. I. c. 3. v. 2.

(3) »Deus ineffabilis est (ait S. P. Aug. cui reliqui PP. consonant).
»Facilius dicimus quid Deus non sit, quam quid sit.» *In Psalm. 85, n. 12.*

remotionis istas imperfectiones in Deo esse absolute negamus.

42. Deus ineffabilis est, id est, nulla vocabula ex iis, quibus Divinam Essentiam, seu Attributa et proprietates significamus, excitant ideam Divinæ Naturæ, prout est in se; (1) nihilominus, si aliquid dicendum pro modulo nostro de Deo est, vocabula quædam adhibeamus necesse est, quæ statim ac proponuntur, ingerunt animo quantum infirmitati nostræ sit indulgendum, dum undequaque maximam, perfectissimam absolutissimamque naturam in has coarctamus angustias. Jam vero ex iis vocabulis quædam Divinam Essentiam ac Substantiam significant, quædam autem Divinas proprietates et Attributa. Agentes nunc de primis, hæc tria quæremus: 1.º Utrum Deus ex necessitate Essentiæ suæ sit ens absolute perfectum: 2.º Qua ratione contineat in purissima simplicitate Essentiæ omnes perfectiones: 3.º Quænam ex iis perfectionibus cogitetur veluti Dei tum physicam, tum metaphysicam Essentiam constituens; ex iis alia veritas sequetur, quam in hac ipsa Disputatione confirmabimus, scilicet, Deum esse unicum.

(1) «Dios mio.... nadie ha visto tu rostro, tu vuelo se eleva sobre las alturas eternas, tienes por heraldo á la magnificencia de la aurora, el dia y la noche refieren tu gloria, y esta es la razon de que el hombre dirija sus miradas al cielo; solo con el corazon se te comprende.... la inmensidad del universo no puede contenerte, ninguna lengua humana puede darte un nombre.... existes... y has existido; nada hubo ante de tí. Un momento pasado á tus pies es la eternidad; el hombre no es grande sinó cuando te ama y glorifica, ¿quién ha tomado parte nunca en los consejos de tu sabiduria? Nos guias por una senda tenebrosa y sin embargo te seguimos con entera confianza.... tu camino es la luz....!! *Pensamientos de MILTON.*

I.

Quoad *primum* sint

43. PROPOSITIO I. *Deus est ex necessitate naturæ á se ipso.*

Prob. 1.^a pars, argumento S. Thomæ. » Omne, quod est possibile esse, et non esse, indiget aliquo alio quod faciat ipsum esse, quia quantum est in se, se habet indifferens ad utrumque. Quod autem facit aliquid esse, est prius eo. Ergo omni, quod est possibile esse, et non esse, est aliquid prius. Deo autem non est aliquid prius; siquidem et ipse est primum ens in genere causæ, et est id, quo nihil melius cogitari potest. Ergo non est possibile Ipsum esse, et non esse, sed necesse est Eum esse (1).

Prob. 2.^a pars: In iis, quæ ita sunt necessaria, ut causam suæ necessitatis habeant, hanc causam priorem eis esse oportet. Atqui nihil prius Deo esse potest. Ergo Deus non habet causam suæ necessitatis, ac proinde ita necessarius est, ut á se et non ab alio sit (2).

Insuper, vel Divina Essentia et existentia sunt quid unum et idem, vel non. Si prius; ergo Deus est ex necessitate essentiæ suæ: si posterius, id est, si Dei Essentia et existentia distinguerentur; ergo Deus ab alio penderet, non esset primum ens, necessarium, immutabile etc., non esset Deus, quod implicat contradictionem (3).

Ergo Deus est ex necessitate naturæ suæ, á se ipso. Ergo *Esse Dei* necessario est *Ejus Essentia*. Etenim illud, cujus esse est aliud ab essentia, aliquam *sui esse* causam agnoscit. Cum igitur Deus habeat *esse á se*, et non ab

(1) Opuscul. 3., *Comp. th.*, c. 6.

(2) Ibid.

(3) S. Thom., *Sum. th.* 1. P. Q. 3. á 4.

aliqua causa, alioquin enim non esset Deus, dicendum est Ejus *Esse* esse ipsam ejus *Essentiam* (1). Hinc Deus est ipsum *esse per se subsistens*, ita nempe, ut per ipsam suam *Essentiam* existat. Cons. *Ont. Disp.* 11.^a

44. PROPOSITIO II. *Deus ex necessitate Essentiæ suæ est ens absolute perfectum: seu Deus in simplicissima entitate Essentiæ suæ continet omnes omnino perfectiones absque ulla imperfectionis mixtura.*

Demonst. 1.^o Illud ens est in omni genere perfectionis infinitum, quod nec ab alio, nec á se limitari potest; atqui Deus nec ab alio, nec á se ullo modo limitari potest; ergo etc.

Demonst. min. A) Non potest limitari ab alio; est enim Deus ens á se, necessarium, ac proinde independens et in essendo et in essendi modo.

B) Non limitatur á se *libere*; nam nemo est tam sibi inimicus, ut se ipsum limitet, et velit minus habere, dum potest magis esse perfectus. Deinde Deus absolutâ et essentiali necessitate est quod est, id est, eadem absolutâ et essentiali necessitate qua existit, eadem absolutâ et essentiali necessitate habet existendi modum, ac proinde in circumscribendis suis perfectionibus liber non est.

C) Neque limitatur necessario et ex natura sua. Etenim Deus est ipsum esse á se, ac proinde quidquid inest vel deest in illo, ideo inest, quia convenit; vel deest, quia repugnat ejus *Essentiæ*; atqui nullum *esse* repugnat cum *Essentia* á se: 1.^o quia realitas realitati non opponitur; 2.^o quia defectus quilibet est negatio esse; ergo repugnat cum esse á se.

Insuper, si quam perfectionem Ens á se ex necessitate respueret, hoc esset certe vel quatenus est ens, vel quatenus est ens á se; atqui nihil horum admitti potest: non

(1) S. Thom. *ibid.*

prius; siquidem ratio entis nullam perfectionem aut realitatem excludit: non posterius; nam sub respectu entis à se exsistit in summo gradu entis ac proinde perfectionis; quod enim exsistit per se tali modo, non potest augeri, nec minui; si enim augeri vel minui posset, non esset ratio cur tale vel tale esset, ac proinde cur esset potius, quam non esset. Vid. Ont. *Disput.* 11.

Demonst. 2.^o Deus est rerum omnium, quæ sunt, aut esse possunt, prima causa efficiens; atqui quidquid perfectionis est in effectum, *actu* in causa efficiente inveniatur oportet, ergo rerum omnium possibilium perfectiones in Deo exsistere debent.

Insuper 3.^o Deus est ipsum esse per se subsistens; ergo necessario totam perfectionem essendi in se continet: etenim quicumque defectus est negatio realitatis, quæ negatio intrinsece repugnat cum *esse* absoluto, seu per se subsistente; ergo Deus habet ex essentia sua totam plenitudinem *esse*; quæcumque autem perfectio est *esse*; ergo Deus habet essentialiter plenitudinem perfectionis, seu omnes perfectiones in simplicissimo suo *esse* (1).

Praeterea 4.^o Si aliqua perfectio possibilis non contineatur aliqua ratione in Deo, illa perfectio erit possibilis, ut supponitur, et simul non esset possibilis: non enim posset exsistere à se; quia nihil seipsum producere valet:

(1) Quare optime Ss. Joan. Damasc. (*De Fide Orthod. lib.* 1. *cap.* 9.) et Gregorius Nazianz. (*Oratio* 38 *de Natalitia*, n. 11.) loquentes de Deo dicunt: «Universum *Esse* in se ipso, nunquam inceptum, nunquam desitutum, complexus continet; tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiae pelagus.» Et S. Bernardus (*De consid. lib.* 5. *c.* 6.) «Si bonum, si magnum, ait, si beatum, si sapientem, vel quid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, *est*. Nempe hoc est Ei esse quod hæc omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris nihil minuisti.»

neque á Deo; quia Deus nullo modo illam haberet: neque ab ulla creatura; quia si Deus illam nullo modo habeat, creatura multo minus habet, cum hæc nihil boni seu *esse* teneat, quod á Deo tanquam á prima omnium causa non acceperit (1). Ergo etc.

Denique 5.^o Deus est ens, quo nihil melius excogitari potest. Ergo necessario omnes omnino perfectiones in se contineat necesse est; alioquin jam aliud eo majus excogitari posset, nimirum ens, quod omnes perfectiones possideret. Ergo etc.

45. COROLLARIUM. Ex hac propositione jam plane sequitur, *Deum esse secundum Essentiam suam infinitum*, id est, *Esse plenitudinem esse sine ullo limite*; ideoque in omni prorsus genere est interminus. Et confirmatur. Etenim 1.^o Deus habet *esse* secundum perfectam rationem; atqui limes non aliud, quam aliquem defectum denotat; ergo in *Esse*, et *perfectionibus* Dei nullus potest limes præstitui.

2.^o Nihil Deo cogitari potest perfectius; quâcumque autem essentiâ finitâ cogitari potest alia perfectior; ergo Dei essentia non est finita.

3.^o Omne quod limitatum est, vel habet formam aliquam intrinsece receptam, vel saltem habet esse ab alio productum; etenim quidquid finitur, vel á se, vel ab alio finem habet; atqui Deus non habet aliquod esse receptum, cum ipse sit suum esse; neque esse productum ab alio, cum sit esse á se; ergo Deus non habet unde limitetur ac finiatur.

4.^o Denique, Deus res omnes procreavit ex nihilo; ad hoc autem necessaria est infinita potentia; sed infinita potentia supponit essentiam infinitam, imo ab illa nulla ratione distinguitur; ergo etc.

(1) Ad Rom. XI.—36. *Ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia.*

II.

46. Hæc est idea quam de Deo habemus evidentibus rationibus efformata ac comprobata, qua autem ratione, omnes possibles perfectiones, quas mens concipere potest, contineantur in illa simplicissima natura, in illo actu purissimo, remotæ ac expurgatæ ab omni imperfectionis conceptu, investigandum *secundo loco* proposuimus. Ad hoc autem

Notandum est: 1.^o Perfectiones, quæ Deo insunt, aliæ sunt plane *divinæ*, et ideo quæ soli Deo conveniunt; aliæ dicuntur *creatæ*, seu *communicabiles*, id est, quæ etiam creaturis communicantur. Hæ communicabiles seu creatæ perfectiones, aliæ vocantur *mixtæ* seu *secundum quid*, quæ licet in se bonæ sint, habent tamen adjunctam et, involvunt in suo conceptu aliquam imperfectionem, nec sunt perfectæ nisi in aliquo genere tantum, non autem absolute, vel saltem tales sunt, ut sint impossibiles in eodem subjecto cum alia perfectione sive meliori, sive æquali. Aliæ vocantur *simplices*, seu, more Scholasticorum, *simpliciter simplices*, quæ nullam in suo conceptu involvunt imperfectionem, ac melior est ipsas habere, quam earum oppositas, seu quaslibet alias, quibuscum impossibiles sunt in eodem subjecto, Prioris generis sunt v. gr. *esse aureum*, *esse rationale*, *esse coloratum* etc.; alterius sunt v. gr. *esse sapiens*, *esse vivum*, *esse intelligens*, *justum* etc. (1).

Notandum 2.^o Perfectio aliqua duplici potissimum modo inesse potest alicui subjecto: *formaliter* nempe, vel *eminenter*. *Formaliter* inest, cum secundum se seu formam ac naturam propriam inest enti, ac proinde proprio ejus conceptu ac definitione de eo enuntiatur, ut cum

(1) Cons. Ontol., Disp. 10., n. 121.; S. Anselm. in *Monol.*, c. 41.

dicimus: Deus est bonus, Deus est justus, vel in Deo est bonitas, justitia etc. *Eminenter* dicitur inesse subjecto perfectio aliqua, quando nonnisi improprie de ipso enunciari potest, cum non inveniatur in subjecto prout in se est, sed modo longe perfectiori, seu cum subjectum, cui inesse aliqua hujusmodi perfectio dicitur, potest aut illam producere, aut idem præstare per perfectionem altioris ordinis. Ex quo postremo etiam patet, quid sit *virtualiter*, vel *æquivalenter* in alio contineri (1).

47. PROPOSITIO. *Deus perfectiones mixtas continet tantum eminenter, simpliciter simplices vero formaliter.*

Demonst. 1.^a pars. 1.^o Deus est ens, quo nihil melius cogitari potest atque ideo est summe perfectus; atqui perfectiones mixtæ secundum propriam formam sumptæ adversantur nobiliori perfectioni, et aliquid defectûs in se continent; ergo secundum propriam formam non possunt contineri in Deo.

Insuper, cum perfectio *mixta* involvat in suo conceptu aliquam imperfectionem, vel saltem impossibilis sit in eodem subjecto cum alia perfectione meliori, sive æquali, hinc si Deus vere et proprie perfectiones mixtas in se contineret; hoc absurdum sequeretur, ipsum, scilicet, non posse continere perfectiones simplices, cum quibus illæ in eodem subjecto consistere nequeunt; ergo, etc.

2.^o Perfectiones mixtas Deus producit per suam Omnipotentiam, et quod ipsæ non absque defectu præstant, Ipse cum singulari excellentia et absque ulla imperfectione præstat; ergo etc. Pulchre ad rem ait S. Pater: »Sic intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præ-

(1) Cons. *Ontol*, loc. c.

»sidentem (1).» Concludendum igitur est, Deum continere omnes perfectiones, quæ creatæ dicuntur, *eminenter, virtualiter* seu *æquivalenter*, sive in *essendo* sive in *operando*.

Demonst. 2.^a pars. Ac 1.^o ex iisdem præcedentis rationibus: Est enim Deus ens optimum quod cogitari potest; ergo proprie et formaliter continet eas perfectiones, quæ in suo conceptu nullam involvunt imperfectionem, et quas melius est formaliter habere, quam non habere; et nulla in iis perfectionibus est ratio, vi cuius prohibeatur Deo formaliter inesse; atqui tales sunt perfectiones *simpliciter simplices*; ergo vel Deus non est imperfectus, seu optimus, quod repugnat, vel continet formaliter has perfectiones.

Alio modo. Deus est necessario perfectissimus; ergo eo ipso necessario habet, quod melius est habere entitative, quam non habere; atqui melius est entitative habere, quam non habere perfectiones, quæ sunt sine ullo defectu; ergo cum perfectiones simpliciter tales nullum habeant defectum, in Deo sunt entitative; ergo etc.

Adverte. Ipsæ perfectiones simplices, quæ formaliter seu entitative in Deo sunt, non insunt tamen in Illo secundum eam ipsam rationem, quam in rebus creatis habent, sed multo eminentius; nam in creaturis sunt ab invicem distinctæ, et multæ hujusmodi perfectiones sunt accidentia, ut sanctitas, justitia etc.: omnes sunt limitatæ et participatæ. In Deo autem, in quo nihil accidentale aut imperfectum esse potest, sunt ipsamet divina Essentia in actu purissimo ac perfectissimo secundum sui rationem absolutam et abstractam à modo, quo sunt in creaturis, et distinctæ sunt solummodo secundum nostrum

(1) *De Trinitate, Lib. 5. c. 1 n. 2.*

concipiendi modum, desumpto fundamento á terminis participantibus harum perfectionum (1).

48. Hinc patet cur nomina, quæ perfectiones simplices significant, Deo tribuantur, ut sapiens, justus, spiritus etc.; ea vero, quæ mixtas significant, de Eo dici non possint.

Imo nec ea nomina, quæ Deo et creaturis tribuuntur, sunt univoca, sed analogica, eâ analogiâ, quæ dicitur proportionalis, seu per quamdam similitudinem, non Dei ad creaturas, sed creaturarum ad Deum (2).

49. Ex dictis colligitur 1.^o *Singulæ, quas mens nostra distinguit in Deo perfectiones, sunt infinitæ*; sunt enim ipsa divina Essentia, idcirco fac aliquam perfectionem finibus circumscribi; eo ipso finitam perfectionem in aliquo genere Deus haberet; quamobrem non foret simpliciter infinitus.

2.^o Divina Essentia non est in ullo genere, quod sit Ipsi et alicui creaturæ commune. Nam, ut scite observat S. Thomas «cum esse Dei sit ejus essentia, si Deus esset in aliquo genere, oporteret, quod genus ejus esset

(1) Hinc mérito S. Anselmus (*Monolog. c. 15. al 14.*) ait: omnia illa, quæ Divinitati tribuuntur, significare, non qualitatem vel modum, sed substantiam Ejus, et ab ipsa omnia summo modo concludi: Quicquid igitur eorum, inquit ipse, de illa dicatur, non qualis, vel quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palam est quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa unitas, quod non est aliud, quam summe ens, summe vivens: et alia similiter». Quem propterea summe vereri, summeque diligere debemus.

(2) »Licet aliquo modo concedatur quod creatura sit similis Deo, ait S. Thomas, nullo tamen modo concedendum est, quod Deus sit similis creaturæ.... sic dicimus quod imago sit similis homini, et non é converso.» *Sum. th. 1. p. q. 4. á 3.*

ens; nam genus significat essentiam rei, cum prædicetur in eo quod quid est; jam vero ens non potest esse genus alicujus; omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis, nulla autem differentia potest inveniri, quæ sit extra ens; quia non ens est nihil, non igitur potest esse differentia.»

Præterea, ratio et conceptus generis essentialiter continet rationem et conceptum differentiarum, quæ sint ab eo realiter distinctæ; alioquin nulla esset distinctio inter species ejusdem generis, v. gr. inter hominem et brutum. Ex hoc certo principio hæc duo eruuntur: 1.° esse Dei est actus purissimus, nulla in suo conceptu et ratione differentia inveniri potest: 2.° genus indifferens est ad hanc vel illam specificam differentiam; ergo est indifferens ad existendum, cum sine aliqua differentia existere nequeat; sed divinâ Essentia est suum esse, seu essentialiter existit; ergo Deus non potest sub ullo genere contineri, sed omne genus transcendit.

3.° Aggregatum ex Deo et creaturis non est aliquid Deo solo perfectius, quia evidens est, infinitum auguri non posse (1); propterea per additas creaturarum perfectiones aggregatum illud non nisi solo numero, minime vero excellentiâ crescit; imo etiam ob adjunctos illi defectus aliquid excellentiæ amitteret (2).

(1) *Ontolog.*, Disp. 11.^a n. 151 seq., pag. 91.

(2) Ad rem S. Hilarius in Psalm. CXLIV. n. 6. »Hæc, inquit, »Dei prima et præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, »nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suæ habeat et »laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, »nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur... Finem magnificientia ejus nescit, et aliquam ementiendi se opinionem immensa »magnitudo non patitur. Extenta ubique, extenta semper est, hanc »habens infinitatis suæ laudem; cæterum omnem intelligentiam infinitæ hujus in se qualitatis excedens.

Difficultates.

50. Ad majorem claritudinem prædictis affundendam sequentia dubia solvuntur.

I. Si Deus esset undequaque infinitus, deberet absorbere omnia alia entia, et nihil præter ipsum et extra ipsum existeret; atqui hoc repugnat, ergo etc.

Resp. Dist. maj. Deberet absorbere sive in se includere omnia entia *eminenter* vel *virtualiter*, *conc. maj.*; includere entitative seu *formaliter*, *nego maj.* Erraret infinito, qui Dei infinitam perfectionem conciperet, quasi Deus esset quoddam aggregatum ex numero infinito perfectionum constans; Deus est perfectio, seu actus infinitus in omni genere perfectionum; perfectiones itaque omnium entium non formaliter, quatenus nempe in iis inveniuntur, continet, sed eminenter, quatenus nimirum Ille solus, utpote perfectio essentialis, potest producere ens cum tali perfectione, et quatenus talem perfectionem excellentiori modo in se habet.

II. Si existeret corpus mole infinitum, omnia alia corpora excluderentur; ergo á pari, si Deus est infinite perfectus, omnis alia perfectio excludi debet.

Resp. Conc. ant. et infero: ergo Deus est spiritus purissimus ac simplicissimus (1). *Nego parit.* et *conseq.* Corpus si foret mole infinitum, excluderet quidem aliud corpus ratione suæ impenetrabilitatis; Deus vero, licet infinite perfectus, non impedit, quominus etiam creaturæ habeant perfectiones *secundum quid*; has enim perfectiones non habet formaliter uti sunt in creaturis, sed modo longe excellentiori.

(1) Cons S. P. Aug., *De trinit.* lib. 5.; S. Bernard. *De consid.*, Lib. 5. c. 7.

III. Opposita in eodem subjecto consistere nequeunt; atqui multæ perfectiones creaturarum sunt oppositæ; ergo in Deo non possunt consistere.

Omissis aliis: *Resp. Dist. min.* Sunt oppositæ in creaturis, quia in iis sunt formaliter et cum limitatione, *conc.*; sunt oppositæ in Deo, in quo sunt eminenter et absque ulla limitatione, ac proinde sine ulla negatione, *nego.* Ibi enim nulla datur oppositio, ubi nulla est negatio (1).

IV. Omnia finita ab infinito æque distant: ergo si Deus est infinite perfectus, creaturæ æque distant ab Ipso, ac proinde sunt æquales in perfectione, quod falsum est.

Resp. Dist. ant. Æque distant distantiam improprietatis, *conc.*; quia inter finitum et infinitum nulla est proportio; distantiam dissimilitudinis, *nego.* Ratio est, quia cum omnis effectus similitudinem suæ causæ aliquo modo referat, potest magis vel minus sub hoc respectu ad suam causam accedere; cum igitur omnes creaturæ sint effectus à Deo, aliquam dicunt ad Deum similitudinem, et hæc similitudo, pro participatæ divinæ Bonitatis ratione, major vel minor esse potest (2).

V. Perfectiones divinæ intelliguntur profluere ab essentia, et ad illam reducuntur; ergo in illa formaliter non continentur.

Resp. Dist. ant. Profluere intelliguntur, et hoc habet locum in nostro conceptu, prout illas distincte consideramus, *conc.*; in se et generatim consideratæ, *nego.* In hoc sensu sunt formaliter ipsamet divina Essentia.

III.

51. Agendum nunc jam est de eo, quod *tertio loco* proposuimus, videlicet: quænam ex divinis perfectionibus

(1) *Ontolog. Disp.* 11.^a n. 150.

(2) *Cons. S. Thom., Sum. th. P. 1. Q. 4. a. 3.*

cogitetur veluti Essentiam Dei tum physicam, tum metaphysicam constituens.

Agentes itaque *primo* de Essentia physica, *præmonere* oportet: statum realem, seu Essentiam physicam Dei hîc non posse sumi pro composito ex partibus physicis, sed dumtaxat accipi pro complexu perfectionum Deo realiter identificatarum, manifestum est ex hactenus dictis. Potest autem essentia physica hoc modo spectari vel *Philosophice*, si nempe consideratur prout est á parte rei in se ac independentem á quovis mentis conceptu; quidquid enim alicui identificatur, á Philosophis nomine *entitatis physicæ* indicatur: vel *Theologice*, si Natura divina precise sumitur pro Deitate, et prout communicabilis, aut communis est tribus Personis; quia hanc usurpationem adhibent Theologi, si de Essentia divina ut á personalitatibus quocumque demum modo distincta loquuntur. Ad hanc pertinent perfectiones tum plane *divinæ*, tum *creatæ simpliciter simplices* seu absolute necessariæ, non vero perfectiones *mixtæ*, cum Deo formaliter inesse nequeant, neque predicata, quæ dicunt, quasi *accidentalialia*, v. gr. esse creatorem, salvatorem etc., saltem secundum actuale denominationem sumpta. Quare præcipua tantum controversia versatur circa prædicata relativa Dei seu personalitates, quæ communius pro exemplo *perfectionum simplicium* adducuntur. Itaque

52. DICO I. *Essentia Dei physica PHILOSOPHICE sumpta stat in cumulo omnium perfectionum necessariarum tam absolutarum, quam relativarum.*

Prob. 1.º Quidquid in Deo est, est ipsemet Deus, juxta commune axioma; atqui omnes perfectiones necessariæ tum *absolutæ*, tum *relativæ* sunt in Deo, et quidem formaliter ac necessario, ergo sunt ipsemet Deus; sed quidquid Deus est, constituit Dei Essentiam physicam philosophice sumptam, cum hæc sit ipsa entitas Dei, ut est in se; ergo etc.

2.° Deus prout est in se ac independenter á quovis conceptu, est ens in omni genere perfectionis infinitum, unum secundum naturam, et trinum secundum personalitates; sed ens hujusmodi pro sui constitutivis dicit perfectiones necessarias tam absolutas, quam relativas; ergo etc.

53. DICO II. *Essentia Dei physica* THEOLOGICE accepta stat in cumulo unarum perfectionum ABSOLUTARUM.

Prob. Essentia Dei physica *theologice* á theologis post Patres consideratur, ut communicabilis et comunicata tribus Personis; etenim Natura, seu Essentia divina una eademque communis est tribus Personis; sed nulla perfectio relativa seu relatio divina uni Personæ essentialis ac propria communicatur alteri Personæ; et é contrario tamen, quidquid una Persona præter personalitatem habet divinitatis aut perfectionis etiam alteri communicatur; ergo etc.

Obj. Essentia Dei etiam *theologice* accepta spectatur á parte rei, ergo includit omnes perfectiones.

Resp. Dist. ant. Essentia divina in casu spectatur á parte rei ut communicabilis tamen et secundum identitatem formalem, Deitati in qualibet Persona convenientem, *conc.*; ut terminata in singulis Personis et secundum identitatem etiam realem, *nego*.

Inst. Deitas est essentialiter una et trina; sed esse trinam constituitur per relationes; ergo Essentia Dei essentialiter constituitur per relationes, et consequenter easdem includit.

Resp. Dist. maj. Deitas physice et philosophice spectata essentialiter una est et trina, *conc.*; theologice sumpta, *subdist.*, est essentialiter, id est, necessario trina, *conc.*; est essentialiter, id est, constitutive, quasi non posset sumi præcise á personalitatibus, *nego*.

Reliqua ad Theologos (1).

54. Nunc vero quod attinet ad Essentiam Dei *metaphysicam* prænотandum est:

Quoniam in rebus creatis, ut alibi indicavimus (2), essentia cujusvis rei illud dicitur quod primum in ente concipitur, et est ejusdem rei proprietatum fons ac radix, eamque ab omni alia re distinguit, seu in suo esse proprio constituitur, id per analogiam ex creatis rebus in Deum transferentes, petimus: quænam in Deo sit ex infinitis ejus perfectionibus (quæ omnes ad Dei Essentiam pertinent et re sunt ipsamet purissima Essentia) sit prima, quam in ipso concipimus, ut cæterarum fons et origo et per quam Deus ab omni alia re distinguitur.

55. Posse hanc vestigationem institui, patet ex eo quod, etsi Deus sit actus purissimus, in quo nihil distinctum esse potest, est perfectionum omnium pelagus infinitum, idcirco non possumus apprehendere, nec nobis repræsentare ineffabilem Dei ac simplicissimam naturam, nisi per conceptus peculiare diversosque (3).

Sedulo autem notandum est, cum instituitur quæstio: quodnam sit constitutivum Dei metaphysicum, id intelligi debet de ratione et ordine, quo progredi mens debet in serie divinarum perfectionum vel attributorum, et de investiganda perfectione ejusmodi, quæ spectari possit ut cæterarum veluti fons, radix, seu fundamentum; id est: quodnam sit ille peculiaris de Deo conceptus, qui in nostram cognitionem cadit tanquam primo constitutivum ipsius, et quo Deus concipitur, veluti per proprium constitutivum, ac per quod maxime à cæteris omnibus entibus secernatur. Quæstio itaque hæc est pure methodica. Jam

(1) Cons. Suarez, *De Deo*; Wirceburg., *De Deo uno* etc.

(2) Ontolog., *Disp.* 4.^a

(3) Ontolog., *Disp.* 8.^a n. 101. *seq. pag.* 64.

56. Circa hanc quæstionem variæ sunt opiniones. Quatuor præcipuas enumeramus: *prima* collocat metaphysicam Dei Essentiam *in aggregatione* seu *cumulo omnium attributorum*, hæc defenditur á *nominalibus* cum Ockamo, et etiam á Suaresio et pluribus Scotistis: *altera* est illorum, qui dicunt, eam ponendam esse *in infinitate radicali* seu *exigentia omnium perfectionum*, hi sunt Scotistæ aliqui, et nostri Toletanus, et Argentina: *tercia* est nonnullorum Thomistarum ut Gonet et Joannes á S. Thoma, inter quos Salmaticenses, Gabardi, Gibbon et Ægidii discipulos, qui opinantur, eam sitam esse *in intellectione actuali*, seu *radicali*; huic affinis est opinio Fulgentii Tolosani et Codoy, qui eam reponunt *in spiritali substantia*, quæ sit facultas intelligendi: *quarta*, cui subscribo, est fere omnium Philosophorum ac Theologorum, Essentiam Dei metaphysicam statuit in *Esse á se* (*aseitate*), id est, in existentia essentiali, necessaria, in necessitate essendi.

57. PROPOSITIO. *Essentia Dei metaphysica constituitur per ESSE Á SE; sive Aseitas omnimoda est differentia Dei specifica.*

Demonst. Metaphysica Dei Essentia, seu metaphysicum Dei constitutivum per id constitui debet, secundum doctrinam communem, quod primo ut quid intrinsecum á nobis concipitur, quod est ratio et veluti radix omnium perfectionum, quæ in Deo sunt, et per quod Deus ab omni alia re distinguitur; atqui in *Esse á se, aseitate*, seu in existentia essentiali et á se ejusmodi conditiones reperiuntur; ergo Essentia Dei metaphysica constituitur per esse á se.

Demonst. min. *Ac primo*, esse á se est primum quod in Deo concipimus, nihilque magis Deo intrinsecum (1);

(1) «Est ipsum (Ens á se) per se antiquius quam ipsissimam esse vitam, (ait Dionysius, *De Divinis Nominibus*) et ipsissimam esse sa-

nihil est, nec excogitari possumus, quod sit prius ente á se, quandoquidem si ens á se conciperetur ut habens aliquod aliud ens prius se, jam non esset ens á se, nec esset Deus, id est, primum Ens; ratio itaque essendi á se est prima, quæ in Deo á nobis concipitur.

Secundo, nihil excogitari potest, quod Deum magis á creaturis distingat, quæ *esse* acceperunt ab alio et á quo dependent tum in essendo, tum in operando, quam esse á se. Etiam *Aseitas omnimoda* Deum discernit, juxta nostrum concipiendi modum, ab Attributis, quæ sunt per emanationem ab alio, nempe ab essentia uti á radice vel fundamento; distinguit etiam á personalitatibus, quæ omnes iterum pro radice habent Deitatem, et præterea in Filiō ac Spiritu Sancto sunt ab alio tanquam á principio et origine.

Tertio, denique ex eo quod Deus intelligatur esse Ens á se, statim necesse est ut omnibus perfectionibus cumulatissimus nullisque terminis circumscriptus intelligatur. Quare S. Thomas, cum docuisset, Deum esse ipsum esse per se subsistens, ex hoc colligit, Eum omnes perfectiones continere; quia *ex hoc quod Deus est ipsum esse per se subsistens, oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat* (1); nisi enim totam contineret, non haberet ex se totam plenitudinem essendi; ideoque non esset ipsum esse á se; posset siquidem recipere aliquam perfectionem, quam non haberet, non esset infinite perfectus, hoc est, non esset Deus; Esse igitur á se est radix ac fundamentum omnium perfectionum, quæ sunt in Deo. Quare merito S. Joan. Damascenus ait: «Inter omnes

»pientiam, et ipsissimam esse similitudinem divinam et cætera, quæ
»sic esse participant, ut ante omnia, ipsum esse participant, Imo vero
»illa per se omnia, quæ entia participant, ipsum per se esse participant,
»neque ullum est ens, cujus non sit essentia, et duratio ipsum esse.»

(1) *Sum. th.*, P. 1. Q. 4. a. 2.

»Dei nomenclaturas, nullam magis propriam esse quam istam: *Qui est* (1).» Totum enim in se ipsa comprehendens, habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantiæ infinitum.

Facillimum foret investigare ac videre quomodo ex hac proprietate, *Esse á se*, omnes Dei perfectiones derivantur et ad illam reducuntur, hoc autem infra, cum de singulis agamus, patebit.

Nunc vero in confirmationem nostræ Propositionis, notare oportet cum omnibus Theologis post SS. Patres, id videtur indicasse ipsemet Deus, nam rogatus á Moyse, quisnam esset? respondit: *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israël: QUI EST misit me ad vos* (2); idcirco tetragammaton JEHOVAH, ut advertunt Ss. PP. propriissimum esse Dei nomen, eo quod significet ipsam Dei substantiam, incommunicabilem, tanquam pelagus infinitum substantiæ, comprehendens totam essendi plenitudinem (3). Habemus igitur, Dei metaphysicam essentiam consistere in *Esse á se*.

58. *Obj.* Nostra sententia in eo deprehenditur minus vera, quod Deum definiat per genus remotissimum, non autem proximum; sicut peccaret, qui definiret hominem per ens rationale, non autem per animal rationale. Ergo divina Essentia per substantiam spiritualem á se, non præcise per *esse á se* metaphysice constituitur.

(1) *De Fide Orthod.*, lib. 1. c. 12.

(2) Exod. III.—14.

(3) Cons. S. Hieronymum, *Epist.* 136 ad Marcellam, de nominibus Dei.; S. P. Aug., *Tract.* 36 in Joan. n. 10. et in Psalm. 134 n. 6.; S. Basil., *cont. Eunom.*, lib. 1. n. 13.; S. Anselm., *Monol.* c. 28.; Euseb., *De præp. evang.*, l. 11. c. 7.; S. Thom. *Sum. th.* 1. P. Q. 13. á 11 ad 1.; M. Berti, *De theol. Disc.* lib. 1. c. 9. Prop. II. vide pulcherrimam considerationem, quam habet D. Mario Aubert, *Tratado de la existencia de Dios etc.* 2.^a parte c. 1. Barcelona: Librería religiosa.

Resp. Nego ant. Ratio enim *entis á se*, ac *per essentialiam á se*, non est Deo remota, sed proxima ac purissima; nam in Deo concipere nequaquam possumus esse á se absque substantia ac tota plenitudine essendi; quippe quod est á se, est per se, est in se, est esse sine ulla limitatione aut negatione; quapropter in esse á se, seu in plenitudine essendi ipsa vita, ipsa intelligentia, ipsa spiritualitas simplicissima, uno verbo, omne esse continetur (1).

Aspiratio.

59. Vilescent mihi omnia transitoria propter te, Deus meus, et omnia mea. O summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, justissime, secretissime, præsentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et incomprehensibilis, invisibilis omnia videns, immutabilis omnia mutans, immortalis, inlocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus, inæstimabilis, ineffabilis, inscrutabilis, immotus omnia movens, non investigabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis, honorandus atque timendus; venerandus atque reverendus; nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, et in vetustatem perducens superbos, et nesciunt. Semper agens, semper quietus, colligens et non egens... omnia creans, protegens, nutriens, et perficiens... opera mutas, sed non consilium, donas debita, nihil perdens, reddis debita, nihil debens. Qui solus vivificas omnia, qui creasti omnia... Domine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniundo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Deus meus, Deus meus, amem te et in amore tuo natem et liquefiam accensus purissimo, castissimo, suavissimo igne amoris tui (2).

(1) Cons. M. Bertì, *De Theolog. Discipl.*, lib. 1. c. 9.

(2) S. P. Aug. ex variis locis.

IV.

60. Ex hactenus disputatis, jam plane colligitur quod quarto loco á principio hujus Disputationis proposuimus, scilicet, *Deum esse unicum*.

Homines ab Adamo usque ad diluvium unum Deum unicum coluisse pro certo habendum est, ut testantur Ss. Patres (1). At quo primum tempore, et quo auctore, cœperint homines post diluvium ab uno vero Deo deflectere non una est Scriptorum opinio. Certum est, hunc decumanum et turpissimum errorem initium habuisse longe ante Moysen á posteris Cham, et probabilius ejus auctores fuere Nembrod et Ninus seu Belo circum circa 2008 annos á mundi origine. Nostrum non est plura de hoc investigare (2). Quidquid enim de eo sentiatur, certum est á Chaldæa primum in alias regiones præsertim ad Ægyptios et Phœnitios, ac deinde ad Græcos et Romanos progressu temporis adeo propagatum fuisse polytheismum, reclamantibus tamen cultioribus Philosophis, ut Juvenal dicat:

Porrum et cepe nefas violare, et frangere morsu.

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis

Numina (3).

Præter verum Deum omnia ipsis erant Dii.

Solem, lunam, stellas, astra omnia colebat *sabeismus*, seu *astrolatria*. Felles, crocodrilos, cynocephalos, serpen-

(1) Id luculenter ostendit liber Geneseos, in quo cultus unius Dei á mundi exordio obtinuisse traditur. Cons. SS. Epiphanium, in *Præfat. libri de Hæres*; Ciril. Alex., *cont. Jul.*, lib. 2. et 3.; Hieronym., *In Genes.*, Thom. Sum. th., 2.^a 2.^æ q. 94. á 4. ad 2.; Theodoretum, q. 47. in *Genes*.

(2) Cons. M. Berti, *De Theol. discipl.*, Lib. 1. c. 4.

(3) Satyra 5. Triginta millia Deos numeravit *Hesiodus*.

tes, canes, aves etc. *Zoolatria*. Homines et ipsa simulacra *anthropolatria*. Entia inanimata ut arbores, fluvia, maria, venta, ignem etc. *Feticismus*. Dæmones ipsos seu genia mala *Dæmonolatria*; etiam ut Deos habebant res abstractas ut famam, concordiam, fortunam etc. (1). Contra hunc tamen errorem, ut indicavi, semper reclamaverunt politiores Philosophi, reliquum autem vulgus vel *inconscium* turbanter sacerdotum fraude colebat, quod ignorabat, vel unum Deum aliis præesse opinabatur, quem alii *Cneph*, vel *Jovem*, aut *Saturnum*, alii *ignotum* nomine appellabant (2).

» Illi multorum (*deorum*) cultores, de hoc uno Domino » cunctorum, et rectore consentiunt (3). » Plures (*gentiles*) » unum Deum summum esse dicebant, à quo omnes alios, » quos deos nominabant, creatos esse asserebant (4). »

Jupiter omnipotens regum rex ipse, Deumque Progenitor, genitrixque Deum, Deus unus et omnis: ait vetustissimus Poëta *Valerius Soranus* apud *Varro-*
nem (5).

61 Ergo Gentiles non vere polythei, sed tantummodo idololatræ fuerunt, dum cultum ex ignorantia absolutum darent et rebus indignis, et indigno modo.

Polythei igitur potissimum dicendi sunt, qui duo principia admittebant æterna et ab invicem independentia,

(1) Cons. Herodotum, *lib. 1*; Cic., *Quæst. tusc.*, l. 12. 13.; *De Natur. Deor.* lib. 1. c. 42., lib. 3. c. 15. 23.; S. Cyril. Alex., in c. 11 *de Iside.*; Nazianz., *Orat. 24.*; Lucian., in *Dialog. de sacrif.*; S. P. Aug., *De Civ. Dei*, lib. 4. etc. etc.

(2) Cons. Euseb. *De Præpar. Evang.*, lib. 11, cap. 7.; S. P. Aug. *De Civ. Dei*, lib. 19.; Gerardus Vossius, in lib. 1. *de Idolatria*, c. 2.; Pet. Dan. Huet, in *Concord. rat. et Fid.*, lib. 2. n. 13.

(3) S. P. Aug. *De vera Relig.* c. 25.

(4) S. Thom., *Sum. Cont. Gent.*, lib. 1. c. 42.

(5) *De Ling. Lat.*, pag. 71.; Cons. Senec. *De beneficiis* lib. 4 c. 7.

alterum bonum, alterum malum (1), cujusmodi sunt *dualistæ*, et *tritheatæ*. Ille error perantiquus est, et probabilius politheismo præcessit; Ægyptii enim in *Iside* et *Osiride* duo principia contraria venerabantur: Persæ *Oromasdem* seu *Ormuzd* dicebant causam boni, et *Ahrimanium* causam mali (2): duo adversantia principia admittebant Stoici: ab Stoicis hic error transiit ad *Gnosticos*, Simonem Magum, Cerdonem, Marcionem. Inter hos autem eminet Manes persa servili genere natus ad an. 277. á Christo Salvatore nostro, á Manes, á suis Manichæus dictus (3), manichæismus appellari cæpit hic error.

62. Per id temporis, inter sæc. II. et III., systema de *Æonibus*, id est, de pluribus Diis unus ab altero procreatus et operantibus propriis viribus, sed ad invicem dependentibus per classes, ex paganismi fabulis consutum elaboratumque fuit á Valentiniano; hocce systema habuit et habet non paucos sectatores (4).

63. Dei etiam unitatem destruunt Hæretici illi, qui, quoniam tres divinas Personas existimabant esse totidem Deos á se invicem naturâ numerali distinctos, ac totidem individua unius specificæ Divinitatis, *Tritheatæ* vocati sunt (5). Jam

Contra hos omnes statuemus primum universim Deum esse unum seu unicum, deinde aliqua adnotabimus contra varias aberrantium formas.

Prænotandum est, unum dici vel *affirmative*, quate-

(1) Hunc fuisse primum idololatriæ fontem affirmat Vossius, *De Idolol.* l. 1. c. 1.

(2) Plutarc. *De Iside et Osiride*.

(3) Manichæus quasi *manna fundens*.

(4) Cons. Tertull, *de Præscript.*, c. 51.; S. Irenæum, *Advers. hæres.*, lib. 4.; S. P. Aug., *cont. Manicheos*, præsentim *cont. Faustum*.

(5) Cons. Petavium, *De trinit.* lib. 1. c. 10.; Bergier, *Dictionar. theol.*, art. *Triteismo*.

nus unum vocatur, quod est indivisum in se: atque hoc modo res quælibet una est, vel *negative*, quatenus unum idem est ac unicum, seu cujus natura numero multiplicari nequit, vel quod excludit consortium cujuslibet (1). In hoc itaque sensu sit

64. PROPOSITIO. *Deus est unus, seu unicus et immultiplicabilis.*

Demonst. 1.^o Natura cui individualis singularitas est essentialis, numero multiplicari nequit; atqui Divinitati singularitas est essentialis; ergo unica est Divinitas. *Demonst min.* Existere est Deo essentialis; essentia enim et existentia Dei sunt quid unum et idem; atqui existentia est essentialiter singularium; ergo singularitas est Deo essentialis.

2.^o Vel nulla est Dei notio, vel Eum exhibet ut aliquid optimum et maximum, quo nihil majus et melius excogitari potest. *De isto convenit apud omnes*, inquit Tertullianus (2), *ut Deus sit summum magnum*. Atqui quod ita summum est ac optimum, ut nihil majus et melius concipi possit, unicum sit necesse est: *Quæ erit jam*, pergit Tert. (3), *conditio ipsius summi magni? nempe ut nihil illi adæquetur; id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adæquabitur; et si adæquabitur; non erit summum magnum, ergo etc.*

3.^o Si multiplex sit Deus, vel unus pendebit ab altero, vel non. Si prius, qui pendet ab altero minime est Deus; quis enim eum dixerit Deum, qui alteri subjicitur? Si posterius, nullus erit Deus, quia nullus erit altero superior, nec proinde summe perfectus: supremum quippe in res omnes dominium maxima est perfectio; ergo etc.

4.^o *Unum Deum*, ait S. Ambrosius, *communis natura*

(1) Cons. Ontolog., Disp. 7.^a, n. 75—76.

(2) Lib. 1 cont. Marcion c. 3.

(3) Ibid.

testatur, quia unus est mundus (1). Itaque vel unus ē pluribus Diis ad mundum creandum sufficit, vel necesse est ut alii in operis partem veniant. Si unus sufficiat, jam potuit mundus sine aliorum subsidio, imo, ipsis otiantibus, existere; quis autem eum appellaverit Deum, sine quo mundus effici potuit? Si vero unus non satis sit ad mundum procreandum, indiget, nec proinde est Deus.

5.^o Mundus hic visibilis unicus ex diversis partibus in eundem finem tendentibus resultans non potest explicari, nisi unus admittatur ejus conditor ac rector; ergo etc. (2).

6.^o Denique, ex naturæ instinctu, quo homines etiam in mediis Gentilitatis erroribus Deum unum confitebantur.

»Cum jurant, ait *Lactantius*, et cum optant, et cum »gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum »nominant: adeo veritas ipsa, cogente natura, etiam ab »invisis pectoribus erumpit (3).» Et Turtullianus: »Deum »nominant, hoc solo quia proprie verus hic unus Deus, »bonus et magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox »est. Judicem quoque contestantur illum, hæc verba, *Deus »videt et Deo commendo, et Deus mihi reddet*. O testimonium animæ naturaliter Christianæ (4).»

7.^o Postremo, Admissa semel pluralitate Deorum, multitudinis non erit terminus; cum numerus, quo major eo etiam sit perfectior, neque etiam ratio habeatur, cur hoc numero tantum Dii sint, et non plures; imo eorum numerus erit actu infinitus; quia, sublata semel unitatis necessitate, multiplicitas infinita est possibilis, possibilitas au-

(1) Lib. 1. *de Fide*, c. 4. n. 11.

(2) Cons. Cosmolog.; *Disp.* 7.^a

(3) *Instit. lib.* 2. c. 1.

(4) *Apolog.*, c. 17.

tem Dei, tanquam entis necessarii infert actum ipsum et existentiam. Atqui Deos actu *infinitos* nullus unquam admisit; ergo nec plures admittendi sunt.

8.^o Ex his jam patet, non posse divinam Naturam multiplicari, neque per productionem unius Dei ab altero, quemadmodum gentiles fabulabantur. Id quod absurdum quoque hinc est, quod Deus productus esset Deus ab alio, Deus dependens, initiumque habens, talem repugnat esse Deum.

Corollarium I.

65. Ex dictis colliges, quam absurde et inutiliter Manichæi duos confixerint Deos, quorum alter boni, alter mali cujuslibet sit Principium.

Primo quam absurde

Nam 1.^o supponunt esse res quasdam per se malas. Hæc autem suppositio ex crassa quadam rerum physicarum ignorantia procedit, et omnino inepta est (1).

2.^o Multo magis repugnat, esse principium aliquod summe malum. Nam cum malum sit boni seu realitatis privatio, summum malum foret summa realitatis privatio, nempe merum nihil. Quomodo autem merum nihil esse ens queat et rerum principium? Et hæc sufficiant in re manifesta.

66. Secundo dixi quam inutiliter

Est enim hæc hypothesis invecta ad malorum bonorumque commixtionem, quæ in mundo viget, explicandam. Atqui

1.^o Malorum origo optime explicatur, quin ad hæc opinionum monstra confugiamus: mala enim quæ in mundo sunt, cum infiniti Numinis bonitate nullatenus pugnant, ut infra demonstrabitur.

2.^o Præterea, duo hæc principia sibi invicem inimica

(1) Cons. Ontolog. Disp. 10.^a n. 131.

sunt, et ad bonum, vel malum essentialiter determinata. Peto jam, utrum viribus polleant æqualibus, an vero inæqualibus. Si inæqualibus, jam vis major minorem vim superaret; et vel eam impediret ne quidpiam efficeret, vel quidquid ab ea fieret, prorsus destrueret, ipsaque solum in mundo dominaretur. Hoc igitur admissio vel solummodo bonum, vel solummodo malum in mundo esset.

Si vero æqualibus viribus pollent, altera vis alteram perpetuo elideret; ac proinde nec bonum nec malum superesset ullum.

Ergo hypothesis Manichæorum boni ac mali permixtionem nullatenus explicat; imo vero illam facit inexplicabilem.

67. Neque dicas cum Baylio, evitari omnia hæc incommoda, siingas, bina principia, foedere inter se inito, aliquid sibi mutuo concessisse, ut finis pugnandi fieret.

Etenim hoc: 1.^o absurde supponitur in iis, quæ necessitate naturæ agunt.

2.^o Hæc suppositio tollit utrique principio independentiam.

3.^o Si principium bonum, quin desinat esse bonum, permittere potest principio malo, ut mala bonis immisceat, jam malorum permissio cum summa bonitate non pugnat. Quid ergo necesse fuit, ad malorum existentiam explicandam, principium illud malum excogitari? (1).

4.^o Denique, vel Deus essentialiter ac summe bonus potuit resistere principio malo, vel non. Si non; ergo 1.^o principium malum a se sit oportet, secus a bono penderet; si vero est ens a se, jam summe bonum, non malum esse potest, quia ens a se habet necessario plenitudinem *esse*: 2.^o principium summe bonum jam non erit nec summe bonum, nec beatum; etenim et habet ens se superius, et

(1) Cons. Salv. Tong., *Inst. lib. 3, Theol.*, lib. 4. c. 1. art. 2; M. Berti, *De Theol. Discipli.* lib. 1. c. 8.

mutuas æternasque cum eo exercet inimicitias. Si potuit resistere, fœdus ineundo cum principio malo: 1.^o amissit aliquid de essentia sua: 2.^o ipse jam vera malorum causa est; quippe potuit, et, juxta Baylium, debuit vi bonitatis mala impedire: et tamen promittit principio malo se ea permissurus; atqui hujusmodi permissio juxta Baylium repugnare debet principio vi essentiæ suæ bono; ergo fœdus a Baylio excogitatum in se absurdum est, et repugnantias auget.

Merito ergo concludimus: Duo Manichæorum et Baylii principia intrinsece repugnant, et admissâ eorum existentia, non tollitur difficultas ad quam tollendam assumuntur, sed augetur; ac fœdus a Baylio excogitatum absurdum prorsus in se est et repugnantias auget; ergo absurdissima sunt duo Manichæorum et Baylii principia.

Corollarium II.

68. Vehementer aberrant illi, qui polytheismum, utique proprie dictum, obtinuisse arbitrantur. Etenim omnes illi, qui primis Christianæ Religionis temporibus adversus Gentiles scripserunt, hoc sibi probandum susceperunt, maximi nominis Philosophos unum rerum omnium parentem, ac Deum professos esse (1). Quod autem ad populorum fidem attinet, juverit hæc observare: 1.^o A mundi origine usque ad diluvium, hoc est, per duo millia annorum circiter, unius Dei cultus in terris vigit: 2.^o Polytheismus aut paulo ante diluvium aut, quod probabilius est, post diluvii tempora primum apparuit (2). 3.^o Floren-

(1) Cf. Hooke, *Relig. nat., et Revelat principia*, T. I. sec. II. ar. 2. pag. 110.

(2) Cons. præter Calmet, (*Comment., t. V., Dissert. de orig. idololat.*) aliosque multos, Lefbvre, *Ess. sur l' orig., la nat., et la chute de l' idol.*, inter *Commentt. Universit. Catholic. Lovan.* t. IV., pag. 229 seqs.

tissima gens hebræa unum, verumque Deum coluit, et, si quando ab institutis suis deficiens, falsa numina coluit, illico per Prophetarum admonitiones ab impio hoc cultu se revocavit: 4.^o Ex certis veteris historiæ documentis novimus, apud antiquos Indos, Sinas, Ægyptios, Persas antiquissimos, Græcos, Romanos, nec non apud Germaniæ, et Scandinaviæ populos vestigia primitivæ Revelationis circa unitatem Dei reperiri (1): 5.^a Post Evangelii promulgationem cultus idolorum sensim concidit, et tandem nonnisi penes quosdam immanes populos perseveravit, atque adhuc viget. Ex quibus efficitur, polytheismum neque perpetuum, neque universalem fuisse. His tamquam cumulus accedit, quod plurium deorum cultores valde inter se dissidebant, neque, teste Tullio (2), in alia re, quam in quadam natura Divina admittenda consentiebant, ita ut consensio ethnicorum in eo potius versata sit, quod quædam Divina natura sit, quam quod plures Dii sint. Neque illud omittendum, quod homines etiam supersticioso Deorum cultu implicati, cum, impellente natura, loquuntur, non Deos, sed Deum inclamant.

Observatio moralis.

69. Ut Dei unitas ab omnibus agnoscatur curare quidem debemus; in ea tamen demonstranda operosius immorari minime necesse est, cum nec suspicio quidem de multitudine Deorum cuiquam suboritur; sed frequenter et ex animo considerare oportet, parum nobis profuturum Deum unum credere et profiteri, nisi Eum præ cæteris omnibus diligamus et toto corde serviamus: tot enim Deos colimus, quot sunt bona creata, quæ Deo

(1) Cons. hac de re Ephem. *La Scienza é la Fide*, vol. IX, pag. 93, seqs., Napoli, 1845.

(2) *Qq. Tuscul.*, lib. 1., c. 13.

turpiter præponimus, cum, despecta lege Dei, ad voluptates, avaritiam etc. (1) quis convertitur et impensius amat, quantum in se est in iis conquiescit quasi in fine ac, tanquam ad Numen aliquod, sese ad ipsa refert. Non est igitur cur Christianus supra Gentiles sese extollat, et de unius Dei fide gloriatur, si rebus creatis, velut totidem idolis, serviat turpiter.

70. *Obj.* I. Sunt in Deo tres Personæ infinite perfectæ ac realiter inter se distinctæ; ergo neque infinitudo opponitur numero, neque repugnat esse plures Deos, qui plus minusve eandem divinam naturam participant.

Resp. Dis. ant. In Deo sunt tres Personæ infinite perfectæ mediate et ratione unius ejusdemque naturæ communis tribus, *conc.*; immediate et ratione Personæ, *subdist.*; sunt infinite perfectæ, id est, unaquæque est perfectissima propriis proprietatibus relativis, *conc.*; quatenus immediate unaquæque Persona, ut Persona, continet proprietates relativas alterius Personæ, *nego*. Et concessa 2.^a antecedentis parte, *nego conseq.* et *consequens*. Tres Divinæ Personæ sunt quidem realiter inter se distinctæ, sed in Natura non distinguuntur, quæ una eademque immultiplicabilis est et communis tribus Personis. Hinc licet Pater sit Deus, sicut et Filius et Spiritus Sanctus, attamen unus est Deus, quia Divina simplicissimaque Natura una eademque est in Patre et in Filio et Spiritu Sancto. Personæ Divinæ sunt etiam infinite perfectæ, sed duplici modo: 1.^o immediate et absolute ratione Personæ, unaquæque habet suæ personalitatis proprietates et perfectiones, quas altera Persona immediate non habet; sic Pater, qua Pater, seu reduplicative, ut ajunt, perfectionem Paternitatis habet immediate,

(1) *Avaritia est simulacrorum servitus*. Apost. ad Colss. 3.—5.; *Multi sunt... quorum Deus venter est*. Id. ad Philip., 3—18 et 19.

non vero filiationis: 2.^o mediate et ratione naturæ, unaquæque Persona habet perfectiones aliarum Personarum; sic quia Pater eandem naturam habet ac Filius, habet aliquo modo perfectiones Filii, quæ á natura dimanant, et cum ea unum idemque sunt. Idem dicendum de Filio et Spiritu Sancto. Personæ igitur divinæ realiter distinguuntur sola personalitate, non naturâ, hinc sunt tres distinctæ Personæ, non tres Dii.

Obj. II. Si unicus ac summe bonus Deus admittatur, jam explicari non potest existentia mali tum physici, tum maxime moralis.

Resp. Nego. Quod attinet ad mala physica dico 1.^o hæc nec tanta, nec talia mala esse, cum plerumque ut mala reputemus, ex ignorantia legum physicarum, quædam phænomena nobis non parum salutaria, quæque oriuntur ex unitate et simplicitate illarum legum, quæ videntur contraria, et tamen omnia concorditer conspirant ad bonum et conservationem totius Universi: 2.^o mala physica relativa, id est, quæ alicui mala sunt, habent rationem sufficientem in ordine supernaturali, cui ordo physicus subordinatur. Quod vero attinet ad bona vel mala moralia, hæc non nisi á bono vel malo usu libertatis proveniunt; et si de malo speciatim agitur, hoc oritur ex insito creaturæ malo metaphysico, quod in limitatione consistit, quo fit ut errare et deficere á regula possit, alioquin libertas est maximum ex naturalibus bonis et ad optimum finem concessa et essentialis rationali naturæ; si ipsâ aliquando abutimur, nostra erit culpa, quam Deus evitare non tenetur cum tanto detrimento dignitatis nostræ: *Melius enim (Deus) iudicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere* (1). Sed de iis infra, cum agamus de Divina Providentia.

(1) S. P. Aug.. *Enchir. c. 27.*, edit. Maur. tom. 6 pars. 1., Legendum est totum, saltem caput cit.

ARTICULUS TERTIUS.

~~~~~

### *De proprietatibus, seu Attributis Dei absolutis.*

71. Cum Deus sit Ens omnino simplex, Ens absolutum, et totum *Esse* (1); quidquid in ipso est, realiter atque identice ipsa divina Natura et plenitudo Essentiæ est. At quoniam propter Ejus infinitatem in omni genere perfectionum conceptu unico complete attingi a nullo creato intellectu potest, sub multiplici quasi respectu spectari et solet et debet; et perinde ac si esset Ens ejusdem generis ac cætera entia nobis cognita, in ipso Essentiam physicam ac metaphysicam, nec non varia attributa ab hac promanantia,

---

(1) Cum dicimus *Ens absolutum* et *totum esse*: hæc verba intelligimus in sua propria, constanti apud Theologos, et philosophica acceptione, id est, Deum esse ipsum suum Esse, actum essendi, esse per se subsistens secundum perfectam rationem essendi, atque ideo esse actum purissimum in quo nihil potentiale, nihil accidentale esse potest, nihil ipsi addi sub ulla ratione. Non quod Essentia divina sit aliquid generale in essendo et sit omnis determinationis expers, ut obgannit Schola Hegheliana prurigine omnia innovandi. Est enim Essentia divina maxime *personalis*, ab omni alia re distincta, non habet, neque habere potest ullam determinationem *limitationis*, sed habet determinationem *distinctionis*; quatenus nempe, ut ait S. Thomas (*Quodlib.* 7. a 1 ad 1.) «In Essentia divina non est aliquid in alio receptum, eo quod Esse ejus est ipsa divina Natura subsistens, quod in nulla alia re contingit; » nam quælibet res alia habet esse receptum, et sic limitatum; et inde » est quod Essentia divina ab omnibus distinguatur per hoc, quod est » in alio non recipi. Patet ergo quod Essentia divina non est quid generale in essendo, cum sit ab omnibus aliis distincta. » Per suum Esse absolutum non tantum est, sed aliquid est. Cons. Cosmolog., *Disp.* 4.<sup>a</sup> §. 11. n. 77. et *Disp.* 5.<sup>a</sup> n. 119. seq.; Joseph. Prisco. *Element. Filosof.* Tom. 2. *Teolog.* c. 1. art. 1.

quæ Naturam divinam constituunt, consideramus. Hæc tamen Attributa neque ab Essentia divina neque inter se *realiter* distinguuntur, sed virtualiter tantum seu distinctione quæ dicitur *cum fundamento in re*, sive rationis ratiocinatæ et penes diversa connotata, ut postea declarabitur (1).

Hæc Attributa sunt perfectiones quædam, quæ ratione nostra Dei consequuntur Naturam. Quorum aliqua, quæ ad divinam referuntur Naturam *absoluta*, quæ referuntur ad Personas, *relativa* a Theologis nuncupantur. Ex absolutis alia *negativa* dicuntur, non quasi reipsa negativa sint, sed quia et cum negatione alicujus imperfectionis concipimus, sive per quæ imperfectionem removemus, et vocibus exprimuntur negativis, ut *immutabilitas*, *immensitas* etc., quæ tamen notionem positivam præ se ferunt; cum enim a Deo aliquam imperfectionem removemus, veram ei perfectionem reapse tribuimus; alia *affirmativa* vocantur, quia et sine ulla negatione concipiuntur, et per quæ Deo perfectionem quampiam tribuimus, et vocibus affirmativis exprimuntur, ut *sanctitas*, *justitia*, *libertas* etc.; alia demum vocantur *respectiva*, utpote quæ ad operationes referuntur, ut *scientia*, *omnipotentia*, etc. Hæc apud Theologos.

72. Nos Philosophi munus fungentes, in Deo distinguimus *proprietates* seu attributa *absoluta* et attributa *relativa*; priorum nomine assignificamus eas perfectiones, quæ ad divinam referuntur Naturam, ut sunt: simplicitas, infinitas, immensitas, æternitas, immutabilitas, omnipotentia, justitia et misericordia, bonitas, veracitas, intelligentia, voluntas, libertas, etc. etc.; nomine vero attributorum relativorum designamus eas perfectiones, quæ aliquo modo agunt et operantur ad *extra* et effectus produciunt in, seu cum tempore, ut creatio, conservatio et concursus. De iis

---

(1) Cons. Ontolog., Disp. 8.<sup>a</sup> n. 99.—101.; pag. 63.

omnibus ordinate et brevissime pertractabimus (1); et quoniam divina Providentia est actio, quâ Sapientia divina, Bonitas et Voluntas omnipotens mundum regunt et administrant, de ipsa speciali Disputatione agemus.

DISPUTATIO 4.<sup>a</sup>—DE SIMPLICITATE ET INFINITATE DEI.

73. *Simplicitas* in genere: est exclusio seu immunitas ab omni compositione, seu ab omni partium distinctione. Triplex autem distingui potest compositio et opposita simplicitas: 1.<sup>o</sup> compositio *physica*, quæ ex partibus realiter distinctis, vel ex materia et forma, vel ex subjecto et accidente constat; simplicitas physica est quæ has varias compositiones excludit: 2.<sup>o</sup> *metaphysica*, quæ ex actu et potentia, vel ex essentia et exsistentia, vel ex essentia et attributis constat; simplicitas metaphysica necessario excludit has compositionum species: 3.<sup>o</sup> *Logica*, ex genere et differentia constat; et simplicitas logica est quæ excludit distinctionem generis et differentię illud determinantis (2).

74. PROPOSITIO I.—*Deus ita est simplicissimus, ut omnem prorsus compositionem essentialiter excludat.*

*Demonst. I.<sup>a</sup> pars.* Deus est Ens, quo nihil majus excogitari potest; atqui quæcumque compositio arguit imperfectionem; ergo repugnat in Deo dari. *Demost. min.* quoad omnes compositionis species.

---

(1) Disserere de divinis perfectionibus digne, ut par est, pertinet ad sacram Theologiam, ideoque sat erit hic leviter attingere eas et delibare, postea, cum mens et intellectus paratiores et aptiores sint, omnibus numeris absolutam reperietis hanc doctrinam apud nostros magistros B. Ægidium Romanum. S. Thomam et Laur. Berti.

(2) Fuerunt quarto Ecclesiæ sæculo quidam é rudioribus Ægyptii Monachis, qui, ut narrat Sozomenus (*Hist., lib. 8. c. 11*). Scripturæ verba quæ Deo vultum, oculos, manus etc. tribuunt, *simplicitér et incaute accipiebant*, Ipsique formam et corpus hominis affingebant; noscuntur hi in Ecclesiastica Historia nomine *Anthropomorphitarum*.

I. Arguit imperfectionem atque ideo repugnat in Deo *compositio physica*: 1.<sup>o</sup> Quidem omnis composita substantia ex se contingens est, et dissolvi potest. Non enim intrinsece repugnat, ex partibus, quæ realiter distinctæ sunt, vel unam vel alteram exsistere ab invicem divisas, vel unam exsistere sine altera. Sed quod dissolvi potest, non est absolute necessarium, nec omniperfectum. Ergo etc.

2.<sup>o</sup> Perfectio ex compositione orta *participata* est, et componentium perfectione *posterior*. Etenim compositum suam perfectionem á partibus accipit, pars á parte et omnes ab invicem in composito perficiuntur, et compositum ab iis perfectum supponit singulas partes aliquo modo in se perfectas. Sed Deus est *independens*, et est *primum Ens*. Ergo repugnat ejus perfectionem compositam (1).

3.<sup>o</sup> Denique, si Deus constaret ex partibus integrantibus aut accidentalibus; vel singulæ partes forent necessariae et infinitæ, vel non. Si primum, jam non erunt partes aut accidentes, sed essent tot entia subsistentia et Dii, quod repugnat. Si secundum, Deus constabit perfectionibus finitis et contingentibus; infinitum, necessarium et omniperfectum resultaret ex finitis, et contingentibus; quod est absurdum.

*Confirmatur* ex notione Entis necessarii, intelligentis, ex Dei immensitate, immutabilitate, immortalitate aliisque similibus proprietatibus; ex Dei præcellentia præ anima rationali et alio quocumque spirituali ente

II. *Compositio metaphysica* involvit imperfectionem ideoque *repugnat in Deo*. Ac *primo*, equidem compositio ex actu et potentia; nam omnis potentia perficitur per ac-

---

(1) »Omne compositum causam habet. Quæ enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa. Deus autem non habet causam», S. Thomas, *sum. th. 1. P. Q. 3. á 7.*) Cons., Eumd. *Sum. Cont. Gent. lib. 1. c. 18.*

tum; ergo Deus, qui perfectissimus est, non potest concipi in potentia. Deinde, Deus est Ens absolute necessarium et á se, seu cujus Essentia in possibilitatis statu concipi nequit, sed cum ejus existentia plane identificatur; ergo etc.

*Secundo*, ex supposito et natura; etenim Deus non est subjectum habens Naturam aliquam pluribus communem, sed est sua propria Natura, est Esse per se et á se subsistens.

*Tertio*, æque repugnat in Deo compositio, ex essentia et existentia et attributis; etenim ab idea essentiæ entis á se, ac proinde necessario existentis, separari non possunt existentia et attributa; ergo etc. Denique

III. *Repugnat in Deo compositio logica*. Deus enim cum sit Ens primum et universalissimum, totum Esse per se subsistens et essentialiter determinatum ad existentiam, sub nullo genere potest contineri; et re quidem vera, genus concipitur potentiæ instar, quæ perficitur et determinatur á differentia; differentia autem instar formæ, quæ perficit ac determinat genus, ergo cum in idea Dei summa perfectio actualis includatur, nihil perfectibile concipi potest, isque *perfectissimus actus ac purissimus* dici debet, et sub omni respectu simplex.

Præterea, Deus infinitam perfectionem totius *esse* in se complectitur; atqui illud, quod ex genere et differentia constat, ad aliquod genus, et ad ea, quæ illius generis sunt propria, determinatur, ac proinde tanquam infinitum, et totum *esse* in se habens intelligi nequit; ergo etc.

Denique, Deus in nullo genere continetur, neque substantia potest esse genus, quod secundum eandem rationem Deo et creaturis conveniat; ergo etc. (1).

---

(1) „Deus ut apposite, inquit S. Bernardus (*In cantic., Serm. 80.*) „hanc sibi vindicat miram singularemque suæ Essentiæ simplicitatem, „ut non aliud, et aliud, non alibi quoque et alibi, sed ne modo quidem.



75. Secunda Propositionis pars ex iis, quibus probatum fuit Deum esse Ens á se et infinitum in omni genere et gradu perfectionis, demonstrata manet (*supra* n. 44). Equidem *Ens á se* non potest non esse in omni genere perfectionis infinitum; siquidem, ut ibi demonstravimus, nihil est, á quo possit intra certos perfectionis gradus coerceri. Insuper, infinitum existit prius finito; alioquin finitum esset æternum, necessarium, independens, immutabile; atqui nihil prius Deo exsistere possibile est; ergo Deus est Ens infinitum (1).

### *Corollaria.*

76. I. *Deus est actus purissimus.* Equidem actus purissimus est actus essendi nulli mixtus potentialitati, Deus autem, cum sit infinitus actu, immutabilis et physice ac metaphysice simplex, habet profecto totum essendi actum, quem habere potest Natura perfectissima, habet ergo actum purissimum. Ipse vero est suum esse et suus actus; Deus ergo est actus purissimus.

77. Difficillissima hic occurrit quæstio: quomodo purissimi actûs divini plures esse possint ac diversæ operationes? Quantum humanæ datur infirmitati, resolvi potest quæstio, distinguendo actum divinum in se consideratum, qui est ipsa purissima Essentia, á respectu, quem ipse actus habet ad terminum. Perfectio, quæ inest actui divino, est infinita, entitas intrinseca hujusce actûs est una, simplicissima, absoluta, non relativa ad aliud ut-

---

«et modo inveniatur in ea; nempe in semet manens, *quod habet, est* et quod est, semper et eodem modo est: in Ea et multa in unum, et diversa in unum rediguntur, ut nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat».

(1) Videdesis, *Ontolog.*, *Disp.* 11.<sup>a</sup> pag. 88, et præsertim *Coroll.* 2. n. 158, pag. 95.

pote quæ est ipsa divina Essentia; terminus vero ejusmodi habet respectum et consequitur ad infinitam perfectionem et virtutem divini actûs, cui proinde respondere potest, et multiplex in infinitum *esse*, et diversa terminatio, seu effectus. Necessitas enim plurium actuum ab essentia distinctorum ad plura agenda, ex eo procedit in essentiis finitis, quod essentia finita, cum non habeat *actu* totam eam perfectionem, quam habere potest, indiget novis accidentalibus determinationibus et actibus, quibus suppleatur quod actualitati essentiæ deest. Divina autem Essentia, quæ est actus infinitæ virtutis, novis hisce determinationibus nec indiget, nec habere eas potest, sed eadem in se manens, ad infinita objecta, ac diversis modis sese porrigit.

Sic v. gr. actus divinus, prouti terminatur ad res intelligibiles, est purissima intellectio, et rerum possibilitas et intelligibilitas refertæ ad eundem actum designant eandem purissimam intellectionem, complectentem ideas infinitas. Ipsemet divinus actus, prouti terminatur ad res creabiles, est liberrima electio, et creabilitas referta ad eundem actum designat liberam electionem. Idem divinus actus, prouti terminatur ad res creandas, est vis infinita tribuens iis, quæ non sunt, existentiam, et harum existentia referta ad eundem actum designat ejusdem efficacitatem etc. Efficacia externa hujus actûs in justo est amor benevolus, in impio est odium puniens, vel misericordia parcens. Unde, cum homo ex impio fit justus, intrinseca divini actûs entitas non mutatur, sed tantum externa illius efficacia. Et ita de reliquis.

II. *Deus non potest esse corpus, neque forma corporis.* Corpus enim quodlibet est compositum ex partibus. Insuper, si corpus esset, non esset summe perfectus. Forma vero corporis, sicut quælibet forma, non ipsum esse, sed essendi principium est, est id per quod ens est.

III. Ergo *Deus est Spiritus purissimus* (1), omnis corporis, omnis accidentis expers (2).

---

78. *Obj.* Scripturæ sanctæ Deo tribuunt corporum proprietates; ergo non est simplex.

*Resp. Dist. ant.* Tribuunt improprie et metaphorice, *conc.*; vere et proprie, *nego.* Illæ Scripturarum locutiones figurato sensu debent accipi; Scriptura enim ut mentis humanæ imbecillitati sese accommodet, divinas perfectiones sub variis corporeis imaginibus exhibet, alioquin altiora difficile intelligeremus. Sed jam nos monet, hujusmodi imagines non esse crassiori humanoque sensu intelligendas; sic enim Job Deum alloquitur: *Numquid oculi carnei tibi sunt; aut sicut videt homo, et tu videbis?* (3). *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (4). *Dominus autem spiritus est* (5).

---

(1) Origenes, *De principiis*, lib. 1. c. 1. n. 6.

(2) »Porro si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est?» S. P. Aug., *de Civ. Dei*, lib. 8. c. 5.

(3) *Lib. Job. C.* 10. v. 4.

(4) *Joan.* 4. 24.

(5) *Ad Corint.* 3. 17, Planum est apud omnes vera sapientes et intelligentes, Divinæ Simplicitati non obesse Mysterium Trinitatis, quamvis Fides in eo agnoscat tres Personas realiter distinctas, et in eadem Essentia intime conjunctas, id est, una eademque Essentia tribus Personis communis et immultiplicabilis et immultiplicata. Neque Mysterium Incarnationis, in qua Verbum conjungit sibi *hypostatice* naturam humanam. Nam ut recte advertit S. Thomas (*In 2. Sent., Dist. 8., q. 1. a. 1. ad 4.*), ut tres divinæ Personæ efficerent compositionem cum Essentia, deberent uniri inter se sub ea ratione, qua distinguuntur, vel distingui sub ea ratione, qua uniuntur, cum compositio sit distinctorum unio. At Personæ Divinæ sub ea ratione, qua distinguuntur, non uniuntur;

Ex demonstratis hactenus jam sequitur sequens

79. PROPOSITIO II. *Nulla datur REALIS distinctio inter divinam Essentiam et Attributa sive absoluta sive relativa, neque inter ipsa Attributa* (1).

*Demonst. breviter.* Ac primo verbis S. Bernardi adversus Gilbertum Porretanum. Si divinitas non est ipsemet Deus, »erit aliquid quod non est Deus, aut nihil.. »Quod si aliquid est quod non est Deus, aut minor erit »Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, qua Deus »est? Restat ut aut majorem fatearis, aut parem. Sed si »major, ipsa est summum bonum, non Deus. Si par, »duo sunt summa bona, non unum. Quod utrumque catho- »licus refugit sensus... De magnitudine, bonitate, justitia, sapientiaque idem per omnia, quod de Divinitate »sentimus, unum in Deo sunt, et cum Deo (2).»

Præterea, si proprietates divinæ ab ipsa substantia realiter distinguantur, aut substantia sunt, aut accidentia: si substantiæ, ergo plures erunt substantiæ in Deo, quod repugnat; accidentia aut qualitas in Deo esse non possunt, ergo etc.

Denique, si hujusmodi daretur in Deo distinctio, jam admitti deberet in Deo realis compositio; atqui hæc

---

distinguuntur enim per relationes, quæ non uniuntur, sed opponuntur, uniuntur vero in Essentia, a qua nullatenus distinguuntur. In Mysterio autem Incarnationis Verbum Divinum non venit in compositionem per modum partis materialis, vel formæ informantis et inhærentis, hoc enim summam imperfectionem involveret, sed per modum termini complementis, actuantis, et perficientis humanitatem, quod puram dicit in illo perfectionem. Cons. Gonet., *Manuale Th.*, lib. 1. tract. 1. C. 5.

(1) Cons. Ontolog., *Disp.* 8.<sup>a</sup> n. 99. seq., pag. 63.

(2) Serm. 80 in Cant. n. 6.

compositio in Deo dari non potest, ut ex prima Prop. patet; ergo etc. (1). Nihilominus

80. PROPOSITIO III. *Potest, atque debet humana ratio Divinas perfectiones et operationes inter se distinguere et à divina Essentia, distinctione tantum illa, quam vocant RATIONIS RATIOCINATÆ, seu cum fundamento in re* (2).

*Demonst.* Ac 1.°, ea ratione de Dei Essentia ejusque attributis cogitare, ac loqui debemus: quâ sese nobis deus ipse exhibuit, ac de se locutus est; quâ possibile est, ut de Eo cogitemus et loquamur: et quâ omnes Philosophi locuti sunt; atqui 1.° Deus imbecillitati nostræ consulens, sese nobis exhibuit tanquam quid multiplex, ac de suis attributis ita locutus est, ut ea esse plurima intelligamus: 2.° cum mens nostra finita undequaque sit, et Deus sit undequaque infinitus, impossibile est, ut uno conceptu intelligibilia Dei mens apprehendat: 3.° omnes Philosophi de Deo loquuntur sub ratione boni, perfecti, justi, sancti etc.; ergo eadem ratione de Deo nos cogitare et loqui oportet.

Prima et tertia *minoris* pars patent ex sacris Scripturis et ex Philosophorum scriptis (3); secunda immediate illustrabitur. Cogitare autem et loqui de multis, in Deo secundum rem distinctis, omnino prohibemur, ut patet

---

(1) «Deus, ait S. P. Aug. (*De Trin.*, lib. 6. c. 7. n. 8.) »multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus »et quidquid aliud non indigne dici videatur; sed eadem magnitudo »Ejus est quæ sapientia, non enim mole magnus est, sed virtute, et eadem bonitas quæ sapientia et magnitudo, et eadem »veritas, quæ illa omnia; et non est ibi aliud beatum esse, et »aliud magnum esse, aut sapientem, aut verum, aut bonum, »sed omnino ipsum esse».

(2) Cons. Ontolog., l. c.

(3) Cons. Dyon. Petavium, ib. l. C. 9.

ex dictis, de multis itaque id facimus distinctis secundum solum mentis conceptum; ergo etc.

*Potest* mens hanc distinctionem conficere; quia licet Ens physice et metaphysice simplex, nullum tali distinctioni fundamentum sibi intrinsecum exhibeat, tamen et ipsum in se pluribus actibus æquivalet, ac præterea relationes multiplices et diversæ, quas res creatæ ad ipsum habent, vires item et facultates, per quas illi diversimode assimilantur, fundamentum quoddam extrinsecum præbent diversis conceptibus, quibus illud nobis, quantum possumus, repræsentamus (1).

*Debet* imo, etenim necessarium omnino nobis est, ut tali modo de Deo cogitemus. In primis enim intellectûs nostri limitatio tunc quoque hoc postulat, cum res finitas comprehendere satagimus (2); multo magis ergo, cum agitur de Ente infinito.

Præterea, cum de Dei Essentia cognitionem intuitivam non habeamus, ad illam utcumque cognoscendam assurgere solum possumus a creatis perfectionibus, quæ sunt virtutis Dei effectus; cum igitur perfectiones hujusmodi et effectus sint plures et diversi, necessario fit, ut Dei notio pluribus diversisque conceptibus conflari in mente nostra debeat. Hinc patet distinctionem hanc mentalem, non esse pure mentalem, id quod alioquin error est, sed esse cum fundamento in re (3).

81. *Colliges* 1.<sup>o</sup> Hujusce distinctionis necessitatem provenire tum ex limitatione et fœcunditate nostræ mentis, tum ex magnitudine seu infinitate rei contemplandæ.

2. Hanc distinctionem diversos gradus habere, secundum quod notæ, quæ hos diversos conceptus consti-

---

(1) Cons. Ontolog. Disp. 8.<sup>a</sup> Prop. III. n. 105. pag. 65.; S. Thomam, *In 1. sent.*, Dist. 2. q. 1. a 2.

(2) Ontolog. l. e.

(3) Vid. Ontologiam, loc. cit.; Salv. Tong., *Inst. etc.*, Theol., lib. 3. Cap. 1. art. 4.



tuunt, plus minusve inter se differunt et opponuntur, sic v. gr. conceptus Paternitatis plus distat a conceptu Essentialitatis, quam hujus conceptus à conceptu bonitatis etc.

3. Hanc distinctionem esse necessariam si de Deo recte loqui velimus.

DISPUTATIO 5.<sup>a</sup>—DE DEI IMMENSITATE, ÆTERNITATE  
ET IMMUTABILITATE.

§. I.

82. *Immensitas* est aptitudo seu exigentia, quâ ens aliquod vi essentialitatis suæ determinatur ad intimam præsentiam rebus omnibus existentibus et possibilibus. Actualis vero in rebus omnibus existentibus præsentia dicitur *ubiquitas*, quæ proinde confundi non debet cum immensitate, cujus est consecrarium; immensitas enim est Attributum Dei absolutum, quod Ei essentialiter convenit; ubiquitas vero est quid relativum, quod contingenter tantum Deo competit, scilicet in hypothesi creationis. Immensitas Dei est æterna, absoluta et necessaria, ubiquitas vero est temporanea, respectiva et libera.

Deus autem immensus dici potest ratione tum Scientiæ, quâ cognoscit omnia: tum Potentiæ, qua omnia in omnibus operatur: tum Naturæ et Sustantiæ divinæ, quæ omnia pervadit ac penetrat, iisque est intime præsens. Hinc Deus est in omnibus per *præsentiam*, per *potentiam* et per *essentialiam*: est per *præsentiam*, quatenus videt et cognoscit, quæ fiunt alicubi, gubernat, moderatur, iisque providet: per *potentiam*, quatenus virtus ejus operatur in omnibus, omnia ipsi subjecta sunt, et suo nutu reguntur: per *essentialiam*, quatenus entitas sua ac sustantia omnia replet, res intime pervadit ac penetrat, ipsumque esse rerum producit ac conservat (1).

---

(1) Divinam immensitatem sic exponit S. Thomas (*Sum. th.* 1. P. Q. 8. a. 3.) «Deus est in omnibus per potentiam, in quan-

Tripliciter, ut alibi diximus (Ont., n. 281., Anthropol., n. 331.), res aliqua per suam essentiam seu entitatem alicubi exsistere potest: *circumscriptive*, cum ita locum occupat, ut per diversas suæ substantiæ partes totidem loci partibus respondeat, et ulterius non extendatur: *definitive*, cum tota est in toto loco, et tota in qualibet loci parte, nec tamen alibi reperitur, seu extra hunc locum est: *repletive*, cum tota locum totum et omnes loci partes implet, et tamen illo non ambitur, nec terminatur.

Cum agitur de Dei Immensitate, hoc est quod in quæstionem venit, scilicet, Deum esse per entitatem seu substantiam suam repletive in omnibus simul totum, modo permanente, et totum in singulis rebus et locis non solum existentibus, sed eodem modo vi essentiæ esset in omnibus possibilibus in infinitum.

Itaque divina Immensitas est: *Divinæ substantiæ præsentia-  
litas omni loco, possibili major, et actu infinita.*

Hæc quæstio, etsi primo intuitu certissima pateat, cum tamen explicare aggredimur *quomodo* hoc fiat, obscura admodum sese offert, quoniam rebus materialibus et sensilibus assueti, præsentia-  
litate spirituum phantasiæ imaginibus deturpamus (1); et etiam difficilius conciliamus Simpliciter cum Immensitate.

Errarunt in hac quæstione veteres omnes, qui Deum admiserunt corporeum; errarunt Stoici et Platonici, et Judæi quamplures et Samaritani; Gnostici etiam et Manichæi atque Sociniani, et non pauci ex Schola Cartesiana.

---

«tum omnia ejus potestati subduntur; est per præsentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, ut causa essendi.»

(1) Vid. Ontolog., pag. 164, n. 275.

83. PROPOSITIO.—*Deus ratione substantiæ seu entitatis suæ est immensus et rebus omnibus intime præsens.*

*Demonst.* 1.<sup>o</sup> Ibi debet esse Substantia divina, ubi est virtus ejus operativa; etenim omne agens oportet conjungi ei in quo immediate agit, virtus autem Dei non est distincta ab ipsa Substantia divina: sunt enim quid plane unum et idem; atqui virtus Dei operativa producit immediate in rebus omnibus ipsum esse, non solum quando primo esse incipiunt, sed etiam quandiu in esse conservantur; ergo necesse est Deum in omnibus rebus intime præsentem esse; et ita præsens, ut rebus ipsis præsens est earum ipsum esse, vel etiam magis, quia id ipsum rerum *esse* ipse Deus producit ac conservat; ergo etc.

2.<sup>o</sup> Sicut exsistere hoc tempore et non alio est limitatio durationis, sic exsistere hoc loco et non alio est limitatio præsentiae; atqui omnis limitatio repugnat cum infinitate entis a se; ergo ens á se seu Deus sicut est omniperfectus et æternus, sic immensus sit oportet; a quo enim intra limites coerceretur? (1); ergo etc.

84. *Animadvertite* 1.<sup>o</sup> Quemadmodum virtus divina infinitis rebus producendis par existit, ita divina Substantia talis est, ut infinitis terminis præsens inesse possit.

2.<sup>o</sup> Hæc divinæ Substantiæ infinita præsentia, non aptitudine quadam indefinita se dilatandi, sed actuali ipsius infinitate continetur. Sic igitur plane se habet, ac si infinitis terminis præsens adesset, et infinita spatia occuparet.

3.<sup>o</sup> Propterea si novæ res crearentur, non se illuc extenderet divina Substantia, sed in se eadem permanens,

---

(1) «Est Deus per cuncta diffusus, ait S. P. Aug., *Epist.* 187. n. »14. seq.), in cœlo totus, et in terra totus, nullo contentus loco, sed »in seipso ubique totus..... Unde fatendum est ubique esse Deum per »Divinitatis præsentiam.»

res illas novas reciperet in se et contineret: quemadmodum si novi planetæ conderentur intra lucis solaris sphæram, non lux se extenderet, sed planetæ inciperent in luce esse. Quare potentialitas omnis se habet ex parte terminorum, non ex parte divinæ Substantiæ (1).

---

85. *Obj. I.* Deus non potest esse immensus, quin adsit in locis maxime sordidis; atqui id Deum dedecet, ergo etc;

*Resp. Nego min.* Entia quippe sunt omnia quæcumque existunt, suâque propterea gaudent respectiva bonitate ac perfectione; ipsis vero præsentem adesse non dedecet divinam Majestatem, nisi juxta aberrantis imaginationis nostræ figmenta; nam revera locis ac rebus fœdis, quibus nos lædimur aut inquinamur, non magis læditur aut inquinatur Deus, quam lux inquinatur cœno, aut anima corpore leproso, cui intime præsens est.

*Obj. II.* Qui propriam sedem habet in cælo, vel in templo aut anima justî, non est ubique et immensus; atqui Deus, ut constat ex variis S. Scripturæ locutionibus, propriam sedem habet in cælo etc.; ergo etc.

*Resp. Dist. maj.* Qui propriam sedem habet in cœlis etc. exclusis aliis locis, *conc. maj.*; non exclusis aliis locis, *nego*. Itaque illæ locutiones intelligendæ sunt, non vere et proprie, sed metaphorice. Deus dicitur speciali quodam modo habitare in quibusdam propter speciales operationes, quas ibi exercet, ita dicitur locum ejus proprium esse cælum, quia in cælo potentiæ, ac munificentiae suæ et gloriæ divitias magnificentius explicat.

---

(1) Cons. S. P. Aug., l. c.

*Observatio moralis.*

86. 1.<sup>o</sup> Ut animum á peccato cohibeamus, vim plurimam habet Divinæ in omnibus locis purissimæ præsentiae consideratio. Si enim serio cogitemus nobis, ubicumque fuerimus, Deum inspectorem, testem, consocium, judicem et ultorem adesse, ad peccatum non facile prosiliemus, ubi sese dederit peccandi occasio, cum Propheta dicat: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* (1). Hinc peccatores sic admonet S. P. Augustinus: *Si peccare vis, quære ubi te Deus non videat, et fac quod vis* (2).

2.<sup>o</sup> Efficiet præsentiae divinæ intuitus, ut justus, inter adversa et pericula, constantem et tranquillam in Deo fiduciam experiatur; si enim Deum justum, omnipotentem, sibi intime et circumquaque præsentem recogitaverit, cum Propheta confidenter dicet: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum est* (3). Quid dulcius, quam Deum intimum intimo nostro affectuose et confidenter amplecti?

3.<sup>o</sup> Cum Deus specialiter in justo, tanquam in templo ipsi charissimo, per gratiam sanctificantem resideat, sollicite caveamus ne violetur illius templi sanctitas: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (4).

§. II.

87. *Æternitas* sumi potest *latissime* pro duratione vel longissima, vel remotissima: *late* pro duratione,

---

(1) Psal. 138-7.

(2) *Serm.* 132. *de Verb. Domini*, n. 2.

(3) Psal. 22.-4.

(4) *I. Corint.*, 3-16.

quæ fine careat, licet habeat initium; utraque acceptio non raro in Scripturis usurpatur. *Minus stricte*, pro duratione, quæ præcise principio caret et fine: *stricte* et *proprio sensu*, pro duratione entis semper existentis et summe immutabilis: de hac quæritur quid sit. Facile definitur, difficillime comprehenditur, et de ea ideam non formamus, nisi á præconceptis temporis ideis præscindamus, quod fere impossibile nobis in præsentī statu est; si enim æternitatis notiones clare ac distincte perciperemus, mortalitatem transcendisse, ac in æternam illam et ineffabilem claritatem ingressuros oportebat.

88. Æternitas est ipse Deus, existentia purissima immobilis et immutabilis, *esse absolutum*, sine initio, sine fine, sine successione. A Boëtio (1) definitur: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio*. Explicatur.

1. Dicitur *possessio*, quia est actus essendi durationis firmæ, constantis et non deficientis: 2. *tota simul*, quia nec duratio habet prius et posterius seu successionem, cum sit unicum velut punctum, quod omnia sibi succedentia tempora complectitur, ut punctum centricum in circulo; nec ens durans admittit successionem aut mutabilitatem, cum in quolibet instanti semper idem sit, et in entitate substantiæ, et in perfectionum modificatione: 3. *perfecta*, quia licet sit indivisibilis, omnem tamen perfectionem durationi successivæ convenientem continet: 4. *vitæ*, et quia Deus est ipsa vita essentialis, et quia æternum debet esse in gradu existendi perfectissimo, et quia hac voce expressius etiam operationis æternitas significatur: 5. *interminabilis*, quia nec initium habuit nec finem, nec habere potest (2). O Deus semper idem! noverim te; hoc est summa felicitas, quam desidero.

(1) *De Consol. phil.*, Lib. 5., pros. 6.

(2) Cons. S. Thom, *sum. th.*, l. p. 9. 10. *integr.*



In Deo nihil præteritum, nihil futurum concipere licet: omnia simul et semel sunt, fuerunt et erunt.

89. *Æternitas*, licet formali, ut ajunt, careat amplitudine, posita in fluxu partium sibi succedentium, habet tamen amplitudinem, ut vocant, virtualement infinitam, quatenus nempe ob carentiam principii et finis ac successionis æquivalet tempori infinito habenti partes ab æterno et in æternum sibi succedentes; æquivalet proinde in ordine ad coëxistendum momentorum seriei indefinitæ, et rebus omnibus creatis sibi succedentibus in infinitum; res itaque licet *objective* æternitati semper præsentis sint, non tamen ei coëxistunt, quia solummodo secundum partem illius virtualis amplitudinis elabuntur. Vehementer igitur aberraret, qui vel tempus conciperet velut ut æternitatis partem, vel æternitatem ut tempus actu infinitum (1).

His præstitutis sit

90. PROPOSITIO. *Deus est æternus proprio et stricto sensu, seu melius; Deus est ipsa æternitas.*

*Demonst. breviter.* Ac primo, Deus est Ens necessarium, sive ex absoluta necessitate suæ naturæ existens; atqui hujusmodi Ens non potest non esse æternum, ita ut nec initium habuerit, nec ullam successionem. Nisi enim omne initium excluderet, aliquando non extitisset, ac proinde non foret ens necessarium, sed *contingens*. Pariter si quod concipi posset temporis punctum, quo non esset extitutum, eo ipso desineret esse ens necessarium; et in utroque casu jam non ex necessitate absoluta et vi essentiae suæ existeret, sed solummodo hypothetice, quod repugnat in ente necessario. Eodem modo,

---

(1) Cons. S. P. Aug., *De Genesi ad litt.* c. 18; *Confess.* L. 11. c. 12. *seq.*

nisi plane excluderetur ab ente necessario omnis quaecumque successio, conflaretur ex multis exsistentiis sibi succedentibus, vel modificationibus, quod absolute repugnat in exsistentia necessaria et prorsus immutabili; ergo etc.

Insuper 2. Deus est Ens, quo majus excogitari nequit, est omniperfectus et totum *esse* (1); ergo est æternum sine successione; si enim non esset hujusmodi, posset esse et habere magis, quam est, aut habet, et singulis instantibus acquirere aut amittere aliquid, id quod repugnat; ergo etc.

Ex iis, quibus demonstrabimus Dei immutabilitatem, ejus essentialis æternitas clarius patescet.

Hinc ipse Plato in *Timæo* ajebat: »*Erat, est, erit*, partes sunt temporis, et male illa transferimus ad æternam naturam; huic *est* tantum competit: *erat* vero, et *erit*, pertinet solummodo ad res in tempore fluentes.» Et S. P. Augustinus: «Æternitas ipsa Dei Substantia est, quæ nihil habet mutabile; ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit, sed non est ibi nisi *est*. Non est ibi *fuit* et *erit*; quia et quod fuit, jam non est, et quod erit, nondum est; sed quidquid ibi est, non est, nisi EST (2)».

### *Observatio moralis.*

91. Varios inter fructus, qui ex æternitatis consideratione colligi possunt, isti primum locum tenent: 1.º Ardentissimum excitare debet Deo potiendi ac fruendi desiderium: in beatissima enim æternitate Deum, id est,

---

(1) Vid. differentiam inter *totum* et *omne*; Log., n. 108, pag. 80.

(2) *Enar. in Psalm. 101. serm. 2. n. 19.*

summum Bonum, secure, non centum, non mille annos, sed infinitis sine successione sæculis: non sensim, et quasi per partes, ut in mortali hac vita, sed totum simul possidebimus; in illo æterno vitæ fonte, in illa æterna luce inenarrabili gaudemus et supergaudemus: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (1).

2.º Ad illud plurimum valet æternitatis intuitus, ut bonorum temporalium contemptum nobis injiciat: Quisquis enim æterna contemplantur, is facile deprehendet, quam nullius momenti sint temporalia quæcumque, si cum æternis conferantur. Nam quidquid finem habet, eo ipso quo desiit, perinde est ac si nunquam fuisset. Fruatur aliquis omnibus mundi voluptatibus, divitiis, honoribus, et quidem per plurimos annos, nihil tamen ex iis superit, nisi tristissima recordatio, quâ se hæc aliquamdo possedissee meminerit: *Quid nobis, inquit hujusmodi homines, Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.... talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt* (2).

3.º Quæ mala, quæ bona nos in hac misera et transitoria vita detinere possunt, si cum æterna conferamus? *Quod in præsentis est momentaneum, et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (3) !!! Æternitas, æternitas !! Oh sempiternum idem!!!

### § III.

92. *Immutabilitas* est negatio transitûs cujuscumque ab uno statu essendi in alium, tum respectu sui, tum respectu cujuscumque rei (recolite dicta in *Ontol.*, *Disp.*

---

(1) *Psal.* 26—4.

(2) *Sap.*, 5. v. 8 seq.

(3) 2 *Cor.*, 4—17.

12.<sup>a</sup> n. 174); nomen itaque *mutationis* «ostendit esse ali-  
»quid aliter se habens nunc, quam prius (1).»

DIVINÆ *immutabilitatis* nomine intelligitur illa Dei  
proprietas, quā Ipse idem semper et in eodem statu ita  
permanet, ut nullam possit vel novam perfectionem ac-  
quirere, vel habitam amittere, vel consilium, vel quid-  
quam hujusmodi mutare; non tamen excluditur possibi-  
litas mutationis *extrinsecæ*, quæ est mera relatio deno-  
minationis (2) nullo modo afficiens entis internum statum.

Errarunt contra hanc veritatem Stoici, qui Deum mu-  
tationi obnoxium asserebant (3); item Sociniani (4); é  
contra vero Hermogenes (5) ita Deum immutabilem sta-  
tuit, ut ipsi ademerit libertatem. Contra hos sit

93. PROPOSITIO. *Deus ex necessitate essentiae suæ est  
absolute immutabilis.*

*Demonst.* Ac primo, juxta S. Thomam (6), ex triplici  
ratione: 1.<sup>o</sup> ex eo quod Deus sit purus actus nihilque habeat  
in potentia; quidquid autem mutatur est aliquo modo in  
potentia ad illud ad quod mutatur: 2.<sup>o</sup> ex eo quod sit om-  
nino simplex omnisque compositionis expers, quæ neces-  
sario inest in eo quod mutatur, dum successive res est  
sub diversis terminis, uno recedente et altero succedente:  
3.<sup>o</sup> ex eo quod sit ens infinitum comprehendens in se  
omnem perfectionis plenitudinem; hinc ostendit soli Deo  
competere absolutam immutabilitatem (7).

---

(1) Cons. S. Thom., *sum. Cont. Gent.*, lib. 1. c. 17.

(2) Ontolog., Disp. 15.<sup>a</sup> n. 220.

(3) Cons. Origen. *Contr. Celsus*, lib. 3.

(4) Sæc. XVI. Hi dicunt, Deum esse immutabilem quoad substan-  
tiam, mutabilem vero in suis decretis.

(5) Sub finem sæc. II.

(6) 1. P. Q. 9. á 1.

(7) Ib., art. 2.

2.° Deus est summum Bonum, est ipsum *esse* per se subsistens, et essentialiter est quod est; atqui omnis mutatio facit ens esse quod non erat ante mutationem, et non esse quod erat (1).

3.° Omnis mutatio fit vel in melius, vel in pejus, vel in æquivalens; atqui Deus utpote infinite ac necessario perfectus non potest nec in melius mutari; quia secus ante mutationem non fuisset infinite perfectus: nec in deterius; quia necessario perfectus, et maxima imperfectio est vel ipsa possibilitas deficiendi: nec in æquivalens; quia omnem possibilem perfectionem vel formaliter vel eminenter semper et essentialiter habet; ergo est essentialiter immutabilis (2).

4.° Denique, mutatio, quæ Deo accidere concipi potest: vel esset secundum *existentiam*; sed Deus habet summam existendi necessitatem; vel secundum *formam substantialem*; sed est summæ simplicitatis et omnem compositionem necessario excludit: vel secundum *accidens*; sed totus est substantia et actus purissimus, ideoque accidentis incapax et omnis potentialitatis ac perfectibilitatis expers: vel secundum *intellectum*; sed Deus jam ab æterno completus et determinatus est ad cognoscendum quidquid cognoscibile est, et cognoscit equidem uno eodemque actu plane in-

---

(1) Cons. S. P. Aug., *Confess.* lib. 8. c. 4—17.; et *Tract.* 13 in *Joan.*

(2) Hanc rationem sic breviter amplexus est ille S. Parentis discipulus, S. Fulgentius (*Epist. ad Theodorum*, cap. 4. n. 4.) dicens: «Deum nec melioribus rebus nec deterioribus immutari. Neque enim »habet ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille »quod est semper est, et sicut est, ita est; non in se habet non »esse posse quod est, quia nec in se habet esse posse quod non »est. Et hoc, quod sic est, non initio prævenitur, non fine conclu- »ditur; non temporibus volvitur, non locis continetur, non ætatibus »variatur. Nihil sibi deest, quia totum in illo est; nihil ei superest, »quia nihil præter illum est.»

variabili, et res ideo sunt cognoscibiles seu intelligibiles, quia eas in seipso cognoscit et intelligit: vel secundum *voluntatem*; sed Dei voluntas non transit ab uno actu ad alium, quia hic realiter et unicus omnino est et ipsa Dei substantia; nec ad contraria, quia consilia format absque ignorantia, præcipatione et passione, atque jam ab æterno summe completus est ad volendum et nolendum quidquid vult, aut non vult: vel secundum *operationem ad intra*; sed hæc æterna, necessaria et immutabilis Deoque essentialis est: vel secundum *operationem ad extra*; sed et hæc non est quid á Dei Substantia distinctum; mutantur termini, non actio Dei: *opera mutas* (Deus) *nec mutas consilium* (1): vel secundum *tempus* aut *locum*; sed hanc ejus æternitas et immensitas excludunt; ergo etc. Et hæc sufficiant.

---

94. Ad præcavendas difficultates ex nostra imbecillitate ortas, notentur sequentia:

1.<sup>a</sup> Affectus varii, vr. gr. iræ, pœnitentiæ, item amoris et odii in idem objectum, qui de Deo prædicantur, intelligendi sunt in sensu *metaphorico*, et *ad modum loquendi* inter homines receptum, habitaque ratione *novi effectûs* in ipsis creaturis, cujus tamen causa non est novus in Deo actus, sed unicus simplicissimus ac æternus, qui Deus ipse est, omnia intra se et extra se pro variis loci, durationis, statûs etc. adjunctis convenienter attingens. Hinc novæ in tempore Deo accedunt *relationes extrinsecæ et puræ denominationis*, nulla autem nova perfectio aut mutatio intrinseca.

2.<sup>a</sup> Motus de loco in locum rursus improprie et metaphorice Deo tribuitur, vel ob diversos in diversis locis effectus, vel ob speciales apparitiones.

---

(1) S. P. Aug., *Confess.*, lib. 1. c. 4. n. 2.



3.° Quoad difficultates, quæ oriuntur ex apparenti incompatibilitate libertatis divinæ cum immutabilitate, infra ubi de libertate divinæ voluntatis. Hîc speciminis gratiâ unam solvemus.

---

95. *Obj.* Deus agnovit olim Incarnationem v. gr. ut futuram, nunc vero agnoscit ut præteritam. Item aliter se gessit in Veteri, aliter nunc se gerit in Novo Testamento; et ratio est, quia qui liber est, potest aliquid de novo velle, quod antecederet noluit; Deus autem est essentialiter liber; ergo et potuit, et mutatus est.

*Resp. Dist. ant.* Et hæc futuritio et præteritio habentur ex parte facti Incarnationis, *conc.*; habentur ex parte cognitionis et voluntatis Dei, *nego.* Hinc *nego cons.* In iis enim mutatio quidem *objecti et effectuum* est, nulla cognitionis aut consilii divini; quia unus, simplex, realiter indivisibilis actus est, quo cognoscit jam ab æterno rem futuram pro eo tempore, pro quo præsens est, et præteritam pro eo tempore, pro quo est præterita; una similiter, simplex, invariabilis et indivisibilis volitio ac voluntas est, quæ ab æterno pro Judæis voluit hanc Reipublicæ et Ecclesiæ formam, quam pro Christianis abrogavit.

*Ad rat. Dist. maj.* Qui liber est, et simul creatura, potest aliquid de novo velle, *conc.*; qui liber est et simul Deus, qui quæcumque vult ab æterno novit ac vult, *nego.* *Disparitatem* inter creatam et divinam libertatem quoad hoc faciunt omnia illa prædicata divina, quibus ejus immutabilitatem hactenus ostendimus. Itaque mutatio habetur ex parte temini voliti, et juxta nostrum modum, nullo vero modo ex parte voluntatis, seu actûs volendi entitative sumpti. Hinc S. P. Augustinus ex æternitate probans voluntatis constantiam inquit: »Unde non Eum modo velle hoc, modo velle illud; sed

»semel et simul et semper velle omnia, quæ vult; non  
»iterum et iterum, neque nunc ista, nunc ulla, nec velle  
»postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat:  
»quia talis voluntas mobilis est, et omne mutabile  
»æternum non est: Deus autem noster æternus est (1).»

---

### *Observatio moralis.*

96. 1.<sup>o</sup> In nobis illud efficere debet Divinæ immutabilitatis consideratio, ut spretis ex animo rebus creatis, quæ in perpetua mutabilitate versantur, in solo Deo conquiescamus: si enim animo perlustres, quæcumque in mundo sunt, nihil nisi instabile, fluxum et caducum reperias. Ipsamet Regna et Imperia suas habent ætates, suas vicissitudines, suas conversiones; alia aliis succedunt, et intra tempus satis breve, tota fere orbis universi facies mutatur. Si autem ad nosmetipsos convertimus, quantam cogitationum et affectuum varietatemprehendemus? Animus nunc agitatus est, nunc tranquillus; nunc tristis, nunc hilaris; nunc erectus, nunc dejectus; quietus nunquam, nisi in Deo. Nihil in nobis firmum, nihil stabile, nihil sibi constans. Perpetua hæc, quam in rebus creatis, in nobisque ipsis experimur mutabilitas, nonne satis monet, ut soli Deo, tanquam immutabili Bono, inhæreamus?

2.<sup>o</sup> Cum Deus sit prorsus immutabilis, nullamque ex hominis obsequio novam, vel perfectionis, vel felicitatis, accessionem possit accipere; cogitare debent qui Eum colunt et diligunt, non quidquam beneficii se præstare Deo, at sibi solis id prodesse: unde Psalter Regius: *Dixi Domino, inquit, Deus meus est tu, quoniam bono-*

---

(1) *Confess. lib. 12. c. 13.* edit. Ratisb. an. 1863. Cons. Laur. Berti, *de theol. disc., lib. 2. c. 6.*

*rum meorum non eges* (1): et Job: *Quid prodest Deo si justus fueris? Aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua* (2).

DISPUTATIO 6.<sup>a</sup>—DE OMNIPOTENTIA DEI, DE JUSTITIA ET MISERICORDIA, BONITATE ET VERACITATE, ETC.

§. I.

79. Vox *omnipotens* sub gemina significatione usurpatur; modo enim idem sonat ac *Pantócrator*, id est, quod in omnia potestatem ac dominatum habet; modo idem ac *Pantodynamos*, id est, quod omnia facere potest seu ad omnia vim habet. In utraque significatione Deo tribuitur; de postrema tamen hic dumtaxat agitur, quæ potentiam vere ac proprie effectricem, eamque amplissimam tum ratione *sui*, tum ratione *actionis*, tum ratione *objecti* exprimit. Quæritur hic de potentia *activa*, quæ est principium agendi, seu vis et virtus infinita producendi quidpiam.

Hæc activa virtus potest esse ad *intra*, et est quæ producit neccessario terminum principio ipso immanentem et ejusdem numero substantiæ cum illò; et ad *extra*, quæ producit libere terminum transeuntem seu extraneum, id est, a principio realiter distinctum et numerice et specificè quoad naturam distinctum. *Primam* Deo competere evincit Mysterium Ss. Trinitatis, De hac ad Theologos. Nos agimus de altera, hæc est potentia *efficiendi quidquid absolute possibile est*, id est, quidquid intrinsecam et absolutam repugnantiam non involvit, quæ enim absolute impossibilia sunt, cum rationem entis non habeant, Dei potentiâ fieri non possunt; alioquin enim dicendum foret, nihilum esse terminum divinæ actionis.

---

(1) Psalm. 15.—2.

(2) Job, 22.—3.

98. Notanda:

1.<sup>o</sup> Potentia hæc dici solet *absoluta*, et *ordinata* seu ordinaria. Dicitur, Deum posse *absolute* quidquid potentiae secundum se tribuitur, attentâ solummodo non repugnantia intrinseca objecti, ac præcisione facta a quocumque Dei decreto, et ab aliis Dei attributis. Dicitur posse potentia *ordinata* id omne, quod potentiae tribuitur, secundum quod certum voluntatis decretum exequitur (1).

Deinde etiam advertendum est: quædam Deum nec velle, nec facere posse *absolute*, quia absolute repugnant, ut circulum quadratum; quædam autem solum ex *suppositione*, supposita nempe ejus præscientia ac voluntate de opposito; repugnat enim, Deum aliqua facere, quæ non præsciverit, aut voluntatem ejus mutari, ut ad gloriam prædestinatum damnari.

2.<sup>o</sup> Potentia Dei est ipsa Scientia Dei et Voluntas Divina, secundum quod est principium effectivum, «cujus velle est facere.» Ad hoc melius intelligendum, memoria revocandum est, ad operationem agentis intellectualis finiti concurrere intellectum et voluntatem, veluti principia *mediata*; intellectus concurrit ut causa *dirigens*, voluntas ut *imperans* (2), et potentiam, tanquam principium *immediatum* et ut causa *exequens*. Idcirco nos in Deo hæc tria secundum rationem distinguimus, quæ tamen in Eo secundum rem unum sunt. Divina nempe Essentia et intellectus est, et voluntas, et vis omnium effectrix (3).

---

(1) Sic v. gr. dicitur, Dum posse potentia absolutâ animam humanam annihilare, id enim intrinsece non repugnat; sed non posse potentia ordinariâ ob repugnantiam cum moralibus Dei attributis.

(2) *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Ps. 148.

(3) «Potentia non ponitur in Deo, ut aliquid differens a scientia, »et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem; in quantum scilicet, potentia importat rationem principii exequentis id, quod »voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit, quæ tria Deo secundum »idem conveniunt » S. Thomas, 1. P. Q. 25. a 1. ad. 4.

Propterea, cum «actio Dei non sit aliud ab Ejus Potentia, sed utrumque est Essentia divina,» actio divinæ Potentiæ non est proprie transiens, sed immanens. Hinc recte dicitur, Deum intelligendo et volendo res extra se producere, atque omnia operari quæ operatur; actiones enim immanentes hæ sunt cognitio atque volitio. Rursus etiam sequitur hinc, Divinam Potentiam esse quidem principium effectuum, qui per ipsam producuntur, non vero principium actionis, quâ res producuntur; nam actionis, quæ ipsa Divina Essentia est, nullum principium esse potest. Quapropter Potentia Dei non semper est conjuncta effectui ad extra; etsi enim semper sit conjuncta actui, id est, operationi, nam operatio est divina Essentia, effectus sequuntur secundum imperium voluntatis et ordinem sapientiæ; unde etiamsi effectus ad extra sint cum tempore, Potentia Dei æterna est, ut æterna est Ejus Essentia (1).

99. Aberrarunt circa Dei potentiam Rationalistæ et Naturalistæ omnes, Manichæi etiam et nonnulli Judæi agentes: *Nunquid poterit Dominus parare mensam in deserto?* (2); Hermogeniani et Seleuciani et alii post Platonicos, Petrus Abælardus et Wicleffus aliique, qui negarunt, Deum posse facere alia plura aut meliora iis, quæ fecit vel vult facere.

---

(1) Cons. S. Thom. *sum. th.*, 1. P. Q. 15. a. 1. ad 3. et in corp.; et QQ. Disp., de Pot., Q. 1. a. 1. ad 8.

Hæc, quæ præmittimus, simplicia ac verissima principia, non præjudicant quæstionem inter Theologos agitatam: quomodo, scilicet, *Scientia Dei sit causa efficax rerum*, an adæquata, vel inadæquata; et an sit *scientia simplicis intelligentiæ*, an *scientia visionis*.

(2) Ps. 78.

100. PROPOSITIO. *Deus est Omnipotens, seu, Potentia Dei est infinita.*

*Demonst. breviter.* 1.<sup>o</sup> Potentia finita, ex qua parte est limitata, et imperfecta est, et talis, quâ facile alia major concipi et esse potest; sed in Deo neque ulla imperfectio esse potest, nec aliqua perfectio talis, qua possit in illo genere major alia vel esse vel concipi; ergo potentia in Deo non est finita, sed prorsus infinita.

2.<sup>o</sup> Deus est universarum rerum, quæ sunt, Creator ex nihilo, et est per modum imperii: *dixit et facta sunt; mandavit et creata sunt*; atqui ad rerum creationem necessaria est potentia infinita (1); ergo etc.

3.<sup>o</sup> Insuper, quidquid est possibile, nec tamen á se, sed ab alio, est per aliam potentiam possibile; ergo vel illa potentia est in Deo, et sic erit omnipotens; vel est in alio quodam ente, et sic multo magis et perfectius debet esse in primo Ente, á quo, scilicet, illud ens potentiam suam participat; atqui primum Ens est Deus, ergo etc.

4.<sup>o</sup> Denique, ille est omnipotens, qui potest facere omnia, quæ fieri possunt: Ille potest facere omnia quæ fieri possunt, qui semper et immutabiliter est; ergo Deus, qui semper et immutabiliter est, est omnipotens. *Prob. min.* Ex rebus omnibus quædam fuerunt, quædam sunt, quædam erunt, quædam sunt solum potentia; igitur virtus producendi omnia, est virtus quæ fuit, quæ est, quæ erit; at virtus quæ fuit, quæ est, quæ erit, est virtus summi Dei, qui semper et incommutabiliter est; ergo qui semper et incommutabiliter est, habet virtutem faciendi omnia, quæ fieri possunt (2).

5.<sup>o</sup> Postremo, potentia Dei est ipsa Essentia Dei; Es-

---

(1) Ita S. P. Aug., *Serm.* 119. *de temp.*

(2) Cons. Laur. Berti, *de Theol. discipl. lib.* 2. c. 6.



sentia autem Dei et est infinita, et infinitis modis participari potest; nulla vero creatura potest illam perfecte imitari; ideoque semper ab alio et alio, ac perfectiori et perfectiori imitabilis; ergo potentia Dei et infinita est, et ad plura atque plura sese porrigere potest (1).

6.<sup>o</sup> Ultimo, «Unumquodque secundum quod est actu, »et perfectum, secundum hoc est principium activum alijus. Patitur autem unumquodque, secundum quod est »deficiens, et imperfectum (2)» Quapropter, »unumquod- »que tantum abundat in virtute agendi, quantum est in actu (3)»; atqui Deus est actus infinitus; ergo etc. (4).

---

*Observatio moralis.*

101. 1.<sup>o</sup> Ad fidem nostram confirmandam plurimum cofert divinæ Omnipotentiae consideratio. Recolite stupendam gentium ad Fidem Religionemque Cristianam conversionem, nec non stabilitatem permanentem Ecclesiae inter tot tantasque contrarias vires (5).

2.<sup>o</sup> In summa Dei Potentia, non nostris viribus, collocare debemus exitum cujuscumque negotii, quod bonum bene adorimur, multam enim spem et fiduciam excitat Omnipotentiae consideratio.

---

(1) Consmolog., *Disp.* 7.<sup>a</sup> pag. 278.

(2) S. Thom., *sum. th.*, l. P. q. 25 á. 2.

(3) Id *Qq. Dis.*, *De potent.*, q. 1. á 3.

(4) S. P. Augustinus, postquam infinita opera mirabilia et portenta, quæ Deus fecit, breviter percurrit, (*in Serm.* 150 *de temp.*) ait: »Hæc omnia non fallaciter facta sunt. Sed nova, sed insolita, »sunt, sed contra naturæ cursum notissimum sunt; quia magna, »quia mira, quia divina, et eo magis vera, certa et firma. Ille hæc »fecit, cui nihil impossibile est».

(5) Catechismus Rom. *Part.* 1. *art.* 1. *Symb.* n. 27.

3.<sup>o</sup> Efficit Dei Omnipotentiae consideratio, ut solum timeamus Deum, in cuius potestate nos ipsi, nostraque omnia posita sunt. Et maxime necessaria est Omnipotentiae consideratio iis peccatoribus, qui ad justificationem vocati, experiuntur tamen difficultates. Audiant hæc S. Patris Aug. verba: «Deus est, et Pater est, Deus »potestate, Pater bonitate.... Nemo dicat: Non mihi potest dimittere peccata. Quomodo non potest Omnipotens? »Sed dicis: Ego multum peccavi: et ego dico: sed ille omnipotens est (1).

---

102. *Obj. I.* Deus non potest mori, non mentiri, non peccare, non facere quod res jam præterita non fuerit, non immutare et evertere rerum naturam; ergo non potest omnia.

*Resp. Conc. ant. Nego conseq.* Deus non potest talia facere, quia intrinsece repugnant et ideo sunt nihil, et nihilum non potest esse terminus actionis divinæ. Convenientius tamen diceretur: hæc non posse fieri, quam quod non posse Deum ea facere. Posse mori, mentiri, peccare etc. est maxima imperfectio, infirmitas et imbecillitas; hæc autem facere non posse maxima potentia est (2). Omittimus respondere ad singula.

*Obj. II.* Potentiæ infinitæ debet respondere terminus seu effectus infinitus; sed nullus extra Deum potest assignari terminus infinitus; ergo etc.

*Rēsp. Dist. maj.* Potentiæ infinitæ etc., quoad modum agendi, *conc.*; »Deus enim magnus etiam est in minimis (3)»; infinitus secundum substantiam, vel *nego*, vel *subdist.*,

---

(1) *Serm.* 213 *de temp.*, c. 1.

(2) «Dicitur *Deus* Omnipotens faciendo quod vult, non patiendo »quod non vult.» S. P. Aug., *De Civ. Dei*, lib. 5. c. 10 n. 1.

(3) S. P. Aug. teste, *De Civ. Dei*, lib. 11. c. 22.

effectus saltem syncategorematice infinitus, *conc.*; necessario categorematice infinitus, *Nego*. Deus non producit tot et tot creaturas, quin plures et plures easque perfectiores et perfectiores semper producere possit.

---

§. II.

103. Cum omnes omnino perfectiones, seu formaliter, seu eminenter in Deo necessario reperiantur; planum est, omnes virtutes morales, remotis imperfectionibus omnibus, in Deo esse. Hæ virtutes, quoniam necessario in Deo sunt, seu melius, quoniam re sunt Ipse Deus, vocari solent *proprietares* seu *Attributa moralia*.

Non tamen omnes virtutes morales Deo formaliter conveniunt. Quæ enim circa affectivas passiones versantur, solummodo metaphorice Deo tribui possunt propter effectuum similitudinem; atque hoc pacto Deus dicitur v. gr. *fortis* vel *mansuetus*, *humilis*, *prudens* etc.

Virtutes vero, quæ in voluntate sunt sicut in subiecto, et non circa passiones, sed circa actiones versantur, hæ sunt in Deo formaliter; remotis tamen imperfectionibus, quas in homine habent ex conditione subjecti. Hujusmodi sunt *sanctitas*, *benignitas*, seu bonitas relativa, et *miserericordia*, *justitia*, *veracitas* etc.

104. I. Jam vero JUSTITIA in genere est virtus, seu perpetua et constans voluntas reddendi unicuique, quod suum est; triplex distinguitur, scilicet, *commutativa*, quâ redditur alteri quod ei debitum est pro accepto aut sublato; *distributiva*, quâ præmium vel merces alicui, pro labore et meritis, rependitur, *vindicativa*, quæ reo poenam pro commissis sceleribus infligit.

1.º Justitia *commutativa* non est in Deo *stricto* et proprio sensu, sed *latiori* tantum; nam justitia commutativa stricte proprieque sumpta sita est in æqualitate

dati et accepti, ita ut per eam tantum reddatur alteri, quantum ab eo fuit acceptum; atqui nihil habent ex se ipsis homines, quod Deo conferre possint; quidquid enim boni in nobis est, à Deo tanquam à fonte manavit: *quis prius dedit illi et retribuetur ei?*

Latori tamen aliquo sensu nonnulla admitti potest in Deo justitia commutativa; quia bona nostra opera, ex gratiæ auxilio facta, ab illa eam dignitatem accipiunt, quæ cum præmio sive gloriâ proportionem quamdam et æqualitatem habent.

105. 2.<sup>o</sup> Proprio sensu est in Deo justitia *distributiva*. Justitia enim distributiva est virtus, quâ præmium et merces pro meritis rependitur; atqui Deus summa et incommutabilis veritas præmia et pœnas statuit pro observatoribus, vel transgressoribus legum: *Reddet unicuique secundum opera ejus* (1): *Reddet Justis mercedem laborem suorum* (2): *Cursum consummavi*, ait Apostolus, *fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex* (3); ergo etc.

106. 3.<sup>o</sup> Est in Deo proprio sensu justitia *vindicativa*. Etenim justitia *vindicativa* est virtus, quæ suam crimini pœnam infligit; atqui hujusmodi virtus Deo supremo legislatori deesse non potest. Et perfecto: 1.<sup>o</sup> Sacra Scriptura innumeris in locis eam Deo tribuit: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium* (4): *Ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (5) etc.

Præterea, vindicem Dei justitiam plurima terribilia-

---

(1) *Ad Rom.* 2-6.

(2) *Sap.* 10-17.

(3) *Ad Timoth.*, 4.-7. 8.

(4) *Psalm.* 5.-7.

(5) *Matth.*, 25-46.

que probant exempla, ex quibus pauca seligemus: 1.° Ut primi Parentis peccatum Deus plecteret, permisit omnes ipsius posteros originali labe infici, dæmonis imperio subditos nasci, et iræ filios innumeris ac gravissimis in hac vita, tum corporis, tum animæ, miseriis conflictari, et homines innumerabiles in æternam damnationem incurrere (1).

2.° Terribilem ab humani generis corruptelâ vindictam Deus exegit, cum mundum universum, exceptis octo tantum hominibus, diluvii fluctibus delevit; et cum, igne de cælo delapso, nequam Pentapolim in cinereum lacum, ut in præsens adhuc videtur, convertit.

3.° Ultricem scelerum justitiam nunquam insignius manifestavit Deus, quam in acerbissima piissimi Jesu morte, cum *proprio filio suo non pepercit*, ut justitiæ suæ satisfaceret. *Propter scelus populi mei*, inquit, *percussi eum* (2). Unde enim tanta optimi Dei in unigenitum filium suum severitas, tantus rigor? An Deus, qui morte peccatoris non delectatur, crudelissimam innocentissimi ac piissimi Filii sui necem decrevisset, si nulla quasi necessitas justitiæ suæ satisfaciendi Eum ad hoc compulisset, quia Christus pro peccatoribus vadem se et sponsorem obligaverat?

### *Observatio moralis.*

Timeamus igitur, et cum timore ac tremore de malis præteritis doleamus, et salutari pœnitentiâ deleamus, et caveamus futura; *Incidemus enim in manus Domi-*

---

(1) »Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt» *Ad. Rom.* 5-12.

(2) *Isaias*, 53-8.

ni, et non in manus hominum (1): Horrendum est incidere in manus Dei viventis (2): agentis: mihi vindicta, et ego retribuam (3).

---

107. II. Deus est summum bonum, bonum infinitum, optimum; est etiam omnis boni bonum, ut fons, causa et origo, bonum absolutum, utile, delectabile, honestum (4). Nulli dubium circa hæc occurrere potest (5). De bonitate autem *relativa*, quæ misericordia (id est, *cor datum miseris*) vel etiam benignitas appellatur dicimus:

108. Misericordia sumi potest, vel pro illo tristitiæ affectu, qui in nobis ex aliena miseria excitatur; vel pro mera voluntate alienam miseriam sublevandi. Priori sensu misericordia non est in Deo, sed posteriori tantum (6). Jam vero

109. SUMMA EST IN DEO, qui est Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis (7), *propensio ad bonum quod habet communicandum*. Nam Deus bonitatem suam infinite amat; ergo infinitam habet propensionem ad agendum hujus finis amore, id est, ad suam bonitatem communicandam.

Insuper, bonum est, ut ait S. Dyonisius, diffusivum sui, cujus clarum indicium sunt variæ et multiplices creaturæ, quas omnes fecit in similitudinem suarum per-

---

(1) *Eccli.*, 2-22.

(2) *Hebræ.*, 10-31.

(3) *Ib.* v. 30.

(4) *Ontolog.*, *Disp.* 10.<sup>a</sup> n. 126., pag. 77.

(5) Cons. V. Luis de la Puente, *Meditaciones espirít. etc.*, Tom. 3. P. 6. *Medit.* 6. *seq.*

(6) »Tristari de miseria alterius, ait S. Thomas, non competit Deo; sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit.» *Sum. th.* 1. P. Q. 21 á 3.

(7) II *Corint.*, 1-3.



fectionum, et mirabilia opera, quæ a creatione fecit in bonum generis humani, inter quæ elucet Incarnatio Verbi sui Divini; Quis non miretur, quis non obstupescat, si paululum consideret, quantum se, et quam miris modis, bonitas hæc et beneficentia in rerum universitate manifestet!! Benedictus sit misericors, piissimus et benignissimus Pater noster, Deus cœli et terræ.

110. Notanda tamen sunt: 1.<sup>o</sup> Dei voluntas, non necessario, sed libere benefica est. Quia licet necessario amet finem propter quem alia vult, ea tamen quæ propter hunc finem vult, non sunt illi necessaria; quia sine his omnibus divina bonitas est in se perfectissima.

2.<sup>o</sup> Beneficentia externa, quam propter hunc finem Deus exercet, infinita esse nunquam potest. Repugnat enim, totam Dei bonitatem extra Deum communicari; quia effectus infinite perfectus contradictionem includit (1).

111. III. DEUM ESSE SUMME VERACEM, id est, nec posse falli, nec fallere, apertissima res est. Etenim Deus est summum ens; ergo non potest excidere ab ente; mentiri autem aut falli est maxima defectio; ergo sicut est summum ens, ita est summe bonus, summe verax, summe potens, summe denique in unoquoque genere perfectionis excellens.

Insuper, quod est intrinsece malum et ex pura imbecillitate originem trahit, repugnat in Deo; atqui falli posse vel fallere, intrinsece malum est, et vel a malitia vel ab ignorantia trahit origem; ergo repugnat in Deo, qui est et esse purissimum et sapientia et potentia ipsa subsistens.

112. IV. Denique, DEUS est *pulchritudo ipsa pulcherrima*. Etenim pulchra sunt quæ intellecta placent, et pulchritudo est: varietas multiplex in unitatem totius

---

(1) Cons. Salv. Tong., *Inst. etc.*, tom. 3., *Theol.*, lib. 3. c. 5. art. 2.

cujusdam perfecti conspirans, in ejus comprehensione mens suaviter conquiescit (1).

Jam vero in Deo est unitas simplicissima ac perfectissima, in qua temen mens nostra distinguit multiplices ac varias infinitas perfectiones. Est in Deo invariabilis ordo sæculorum, consonantia perfectionum, immutabilis regula providentiæ, et æterna et incommutabilis lex, quæ summa ratio nominatur, quâque justum est ut omnia sint ordinatissima; atque, ut inquit S. Pater, *prima æqualitas, et prima similitudo* (2), id est, divinum Verbum, candor æternæ lucis et imago pulchritudinis ejus; ergo etc.

Deinde pulchrum est, quod allicit et ad amorem sui trahit; et in Deo est bonitas essentialis, pietas, charitas, jucunditas, gloria et alia, quæ nos ad amandum provocant, et in cœlesti patria plenissimo replent gaudio. Pulchrum quoque est decus, et ornamentum animi, quæ vocantur pulchritudo moralis, atque in Deo, seu melius Deus est ipse ordo moralis, sanctitas, magnificentia et omnis justitiæ fons; unde S. P. Aug. inquit: *Summa et vera pulchritudo justitia est. Ibi illum non videbis, ubi deprehendis injustum. Sic ubique justus, et pulcher, ubique decorus* (3). Ornamentum et pulchritudo mundum materialis tum maxime intellectualis et moralis, et uniuscujusque rei decor et venustas summæ earum causæ efficientis, exemplaris, et finalis pulchritudinem demonstrant (4): *Si pulchra sunt quæ fecit*, ait S. P., *quanto pulchrior est qui fecit?* (5): *Bonum hoc, et bonum*

---

(1) Ontolog., Disp. 10.<sup>a</sup> n. 139. pag. 85.

(2) De Trinit., lib. 6. c. 10.

(3) In Psal. 44.

(4) Cons. S. Ambros., in lib. de Isaac; Contensonium, Dissert. 3. c. 11. spec.; S. P. Aug., Enarr. in Psal. 148 n. 15.

(5) Loc. c.

*illud; tolle hoc, et illud, et vide ipsum Bonum, si potest: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed omnis boni bonum (1).*

Deus meus, Pulchritudo mea pulcherrima, agnoscam te, animæ et cordis mei dulcedo dulcissima et dilectissima: Deus meus et omnia!!

113. V. DEUS non solum est summe Sanctus, sed est sanctitas ipsa essentialis. Sanctitas Dei est amor infinitus et essentialis quo se ipsum necessario amat. Cum Ipse sit summe verax, summe justus, uno verbo, Ipsum Esse per se subsistens, amando se amat quidquid rationem entis habet: ergo sicut se essentialiter et necessario amat, ita necessario et essentialiter excludit quidquid imperfectionis, defectûs et negationis rationem habet; ergo etc. Omittimus cætera.

#### DISPUTATIO 7.<sup>a</sup>—DE INTELLECTU DIVINO.

114. Divinus Intellectus et Scientia Dei sunt revera quid unum et idem, sunt, scilicet, ipsamet divina Substantia simplicissima ac perfectissima. Nos non aliud fundamentum excogitare possumus ad distinguendum inter Intellectum et Scientiam Dei, nisi quia possumus considerare Intellectum ut subjectum *quo*, et Scientiam ut connotans scibilia seu intelligibilia objecta; unde, etsi divina Scientia sit eadem Dei Substantia unica ac simplicissima, cum scientia connotet objecta intelligibilia, eas secundum rationem et nostrum concipiendi modum distinguimus; atque etiam æquivalenter et ex objectorum diversitate Scientia Dei multiplex est, et varia sortitur nomina eandem rem significantia, distinctam vero sola terminorum ratione.

115. Secundum hoc, Scientia Dei dividitur: 1.<sup>o</sup> in scientiam *necessariam*, seu *naturalem*, et *liberam*, *Necessaria*

---

(1) S. Pater, *de Trinit*, lib. 8. c. 3.

est illa, cujus objectum est absolute necessarium, ac proinde independens ab ullo Dei decreto; tale est Deus ipse et rerum essentiae, seu universa possibilia. *Libera* est, cujus objectum contingens est, ac propterea dependet à libero Dei decreto; tale est omnia ea, quæ in aliqua temporis differentia extitura sunt.

2.º Dividitur Scientia Dei in *speculativam* et *practicam*; quæ divisio recidit in præcedentem.

3.º Dividitur in Scientiam *approbationis* et *improbationis*, secundum quod objectum est conforme æternis honestatis principiis, vel non.

4.º Dividitur in scientiam *simplicis intelligentiæ*, et scientiam *visionis*. Hæc divisio ex parte in primam redit. Vocant scientiam *simplicis intelligentiæ*, quâ Deus cognoscit pura possibilia, quæ in nulla temporis differentia extitura sunt; cum enim Essentia Dei, quæ est exemplar radicale et virtuale omnium intelligibilium, sit variis infinitisque modis imitabilis, nunquam exhauriatur, sed semper à pluribus et pluribus, et perfectioribus ac perfectioribus in infinitum imitabilis, nunquam existent in ulla temporis differentia ea omnia possibilia; jam vero cognitio horum possibilium, quæ extitura non sunt, est quæ vocatur scientia simplicis intelligentiæ.

Vocant scientiam *visionis*, quâ Deus cognoscit præterita, præsentia et futura, id est, ea quæ existunt in aliqua temporis differentia.

116. Utrum hæc postrema divisio sit adæquata, an vero detur aliud membrum, *scientia*, videlicet, *media*, seu *conditionata*, ea, scilicet, per quam Deus futura libera cognoscit, quæ ab aliqua conditione pendent, ad Theologos relinquimus investigare. Nobis sufficit consignare, Intellectum divinum ab æterno determinatum esse adæquate, et cognoscere perfectissime quidquid futurum erat in qualibet temporis differentia sub quocumque eventu, et res, quæcumque conditio supponatur, vel futura est

aliquando, vel non: si primum, ejus cognitio pertinet ad scientiam *visionis*: si secundum, pertinet ad scientiam *simplicis intelligentiæ*. Deinde tum conditionem, tum conditionatum, tum utriusque nexum uno ac simplicissimo actu cognoscit Deus et in se ipso, ut eorum ratio sufficiens, et in eorum propriis naturis (1).

Nos breviter investigabimus divinæ cognitionis 1. naturam: 2. objectum: 3. medium.

117. Ante omnia vero præ oculis habendum est illud S. P. Augustini: «Nec forte hoc á me, Fratres, inquit »ipse, expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat »Deus. Hoc solum dico: non sic cognoscit ut homo, non »sic cognoscit ut Angelus; et quomodo cognoscat, dicere »non audeo, quoniam et scire non possum (2);» est enim abyssus multa et impenetrabilis Scientia Dei.

118. PROPOSITIO I. *Deus Intellectu perfectissimo, et ad omnia, quæ cognosci possunt, penitissime introspecti- cienda se extendenti, præditus est.*

Etenim Deus est Ens, quo nihil melius aut perfectius excogitari potest; atqui intellectus et intelligentia est maxima perfectio; ergo Deus iis carere non potest.

Deinde, quidquid perfectionis reperitur in creaturis, perfectiori et eminentiori modo reperitur in Deo, ut exemplar et causa; atqui in Angelis et hominibus invenitur intellectus et intelligentia non solum de præsentibus, sed etiam de præteritis et futuris; ergo etc.

Denique, ipsum pulcherrimum et ordinatissimum Universum, in quo omnia sunt *in numero, pondere, et mensura*, enarrat infinitam Dei sapientiam. Ex hinc ipsi

---

(1) Cons. Mag. Laur. Berti, *De Theolog. discipl.*, lib. 4. c. 10.; *Theol. Wirceburg. tom. 2., P. 1., Disp. 3., c. 2.*

(2) *Enarr.*, in *Psalm. 49.*, n. 18.

ethnici Philosophi in Deo infinitam sapientiam et futurorum cognitionem agnoverunt (1).

119. PROPOSITIO II. *Intellectus divinus est actus purissimus, non vero facultas; id est, in Deo non est facultas cognoscendi ad actum reducibilis, sed est actualis cognitio infinita.*

Etenim, si Intellectus divinus esset facultas ad actum reducibilis, Deus esset sapiens novis participationibus veritatis, non perfectione substantiæ, quod repugnat Ejus infinitæ immutabilitati et simplicissimæ simplicitati; siquidem Deus est ens à se, absolute necessarium et immutabile; ergo ab æterno semper fuit id quod esse potest; ergo semper habet totam quam habere potest cognitionem; ergo hoc ipso Intellectus Dei est actus purissimus.

Insuper, perfectius est omnia actu unico et simultanee cognoscere, quam actu multiplici et successive; atqui Intellectus divinus est infinite perfectus; ergo omnia actu unico et simultanee cognoscit; ergo est actus purus.

Præterea, in Deo, ente perfectissimo ac simplicissimo, nulli sunt modi; atqui nisi Intellectus divinus esset actus purissimus, in Deo darentur modi; tunc enim ejus Intellectus erumperet in distinctos ac successivos actus, qui tot essent modificationes; ergo etc. (2).

Denique, divinus Intellectus est ipsa divina Substantia æterna, simplicissima, incommutabilis et perfectissima; ergo etc. (3).

---

(1) Plato, in *Parmenide*, Proclus, c. 21., cons. Clem. Alex., *Strom.* Lib 5.

(2) Petr. Fournier.

(3) S. P. Augustinus in *Tract.* 99 in *Joan.* c. 16, n. 4. merito ait: «Ideo non est ista substantia verissime simplex, cui non hoc est esse »quod nosse: potest enim esse, nec nosse. At illa Divina non potest;



220. PROPOSITIO III. *Deus se et infinitas suas perfectiones simplicissimo ac uno æterno intuitu cognoscit ac comprehendit, tum in se ipso, tum in creaturis.*

*Demons* 1.<sup>o</sup> Deus totus est mens, et quidem mens prima ac præstantissima, quâ præstantior aut excellentior ne concipi quidem potest; aliunde Ipse sibi est perfectissime præsentissimus ac summe intelligibilis, imo unicum objectum necessarium et adæquatum Ipsius infiniti intellectûs; ergo se Ipsum infinite cognoscat necesse est.

Insuper, perfectissimo Enti intelligenti assignari debet objectum motivum et ratio perfectissima cognoscendi; atqui tale motivum et ratio non potest alia esse, quam Ipse Deus; ergo etc. *Confirm.* Sicut Deus, utpote Ens á se et summum bonum, est proprius sibi finis: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (1); ita tanquam summa veritas est sibi in cognoscendo sua ratio motiva.

Præterea, Deus se ipsum comprehendit, si se ipsum cognoscit quantum cognoscibilis est, hoc est enim comprehendere; atqui Deus cognoscit se ipsum quantum cognoscibilis est, quia tanta est virtus ejus in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo; utraque autem est infinita; ergo etc. (2).

Postremo, Deus perfectissime ac comprehensive cognoscit creaturas, prout sunt in se; sed creaturæ sunt in se essentialiter connexæ cum Deo, utpote qui est earum causa et exemplaris, et efficiens et finalis; ergo perfectissime ac comprehensive cognoscit illas ut essen-

---

»quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud  
»sit Illi scientia quâ scit, aliud essentia quâ est; sed utrumque unum.  
»Nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est.»

(1) Prov. 16-4.

(2) Hæc vide apud S. Thomam, 1. P. Q. 14.

tialiter connexas cum Deo. Hoc autem ipsum est, Deum cognoscere se ipsum in creaturis; ergo etc (1).

Itaque Deum possumus nobis repræsentare ut speculum purissimum ac limpidissimum, quod vi essentiali intelligendi præditum sibi ipsi clarissimâ fulget luce, ac suam Essentiam cognoscit, atque se in se videt, quin unquam possit ab hac visione, seu contemplatione cessare.

*Dices* cum S. Patre: Quod comprehendit se, finitum est sibi; atqui Deus non potest dici finitus sibi; est enim omnibus modis infinitus; ergo etc.

*Respondet* S. Thomas: «cum dicimus *Deus finitus sibi*, intelligendum est secundum quamdam similitudinem proportionis; quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem sic dicitur *Deus sibi finitus*, quod ipse intelligat se esse aliquid finitum (2).» Itaque Deus est quodammodo finitus sibi, quatenus perfectissimam ac plenissimam sui cognitionem habet; cum vero et Substantia Dei et Intellectus sint quid unum et absolute infinitum, nullus limes sibi ponit agnoscendo se ipsum.

121. PROPOSITIO IV. *Deus omnes essentias rerum, ac possibilia omnia clarissimo intuitu ab æterno cognoscit.*

Duplici modo hunc intuitum Divinum considerare possumus: vel prout essentiæ, ac possibilia omnia *radicaliter* sunt ipsa divina Essentia, ac *formaliter* in divino Intellectu repræsentantur: vel prout ea cernit in intimis ipsarum attributis, seu secundum esse, quod habent in se ipsis. Utroque modo Deus possibilia cognoscit.

---

(1) Wireceburg. l. c.

(2) Loco c. a. 4. ad 2.

Etenim Dei Scientia infinita est; ergo complecti cognitione debet quidquid cognoscibile est; possibilia autem cognoscibilia sunt; ergo etc.

Ac 1.<sup>o</sup> Sunt cognoscibilia in divina Essentia; Divina enim Essentia est exemplar perfectissimum, idea *archetypa* ac ratio originalis omnium essentiarum ac possibilitium; sed Deus Essentiam suam perfectissime comprehendit; ergo perfectissime cognoscit rerum essentias ac possibilia omnia, quæ nihil aliud sunt, quam quædam similitudines ac imitationes ad extra ipsius divinæ Essentiæ, et eatenus sunt, quatenus aliquam ex divinis perfectionibus, quas divina Essentia eminenter continet, in se expressam præferunt (1).

2.<sup>o</sup> Et in se ipsis cognoscit; etenim attributa creaturarum rerum, seu essentia possibilitium est in se cognoscibilis, tum quia immediate in se ipsis habent veritatem objectivam, vi cujus terminare possunt enuntiationem sibi ipsis conformem, cujusmodi sunt: esse producibilia, non involvere prædicata contradictoria; tum quia ut sunt intrinsece possibilia, ita et intrinsece atque hinc immediate cognoscibilia sunt; tum quia res præteritæ existentes et futuræ sunt in se ipsis cognoscibiles, à qui-

---

(1) Cons. Ontolog., *Disp.* 6.<sup>a</sup> prop. IV., pag. 45. «Quidquid habet rationem entis et veri, totum est virtualiter in Deo» S. Thom., *Sum. th.* 1. P. Q. 19. a. 6. ad 2. Cui præiverat S. P. Aug. «Neque enim multæ, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidem atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam facta sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest: porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat». Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod, scilicet, iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset, Deo autem nisi notus esset, esse non posset. *De Civ. Dei*, Lib. 11. c. 10. in finem.

bus res possibles non distinguuntur secundum veritatem objectivam, sed duntaxat secundum statum; ergo etc.

Præterea, Deus perfecte comprehendit et se, et potentiam, et voluntatem suam; ergo perfecte videt ac cognoscit ea omnia, quæ a sua voluntate dependent, quæ ad ipsius quocumque modo spectant virtutem et efficaciam, quæ in ejus arte, aut idea, aut decreto quolibet continentur; atqui nihil fuit unquam, nihil erit, nihil esse potest, nec modo essentiæ universales, sed etiam individua, quæ sunt proprie termini virtutis Dei, quod non pertineat ad vim effectricem Dei, ad ejus artem voluntatemque; ergo nihil est quod divinam possit latere Scientiam.

122. PROPOSITIO V. *Deus certissime et infallibiliter ab æterno uno ac simplicissimo actu cognoscit omnia præterita, præsentia et futura, sive necessaria, sive contingentia et libera, sive conditionata; et quidem eo ordine, successione, dependentiâ, ut fuerunt, sunt et erunt.*

Sequitur ex dictis; *Demonstrantur vero singulæ partes.* Ac primo generatim. Mens divina est perfectissime et *infinite intellectiva*, excellentior quâ excogitari possit; ergo certo et infallibiliter cognoscit omnia intelligibilia et cognoscibilia sibi aliquando præsentia; atqui omnia sunt actu præsentia Divinæ menti, siquidem est *æterna* (1); ergo et futura nobis, et præterita, et præsentia, sub quacumque conditione efficiantur, certo et infallibiliter cognoscit.

Insuper, Deus est *immutabilis*; proinde Ejus etiam *Scientia* quoad se est *invariabilis*, quamvis objectum ejus sit variabilis; ergo non cognoscit res quando actu sunt, sed ab æterno, sive una æterna ac immutabili cogni-

---

(1) Cons. supra. *Disp.* 5.\*

tione, quâ seipsum cognoscit, attingit ac cognoscit omnia, sub quocumque demum eventu veniant.

Præterea, Deus ab æterno omnia sive magna, sive parva, omnia quæcumque erunt, in Sapientia sua, sive *Verbo*, *per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil*, constituit sive ordinando, sive permittendo, hoc autem sine certa ac infallibili notitia fieri nequibat; ergo etc.

Fac, mundum universum crystallo purissima ac limpidissima ceu speculo contineri, quæ crystallus et æterna sit, et vim infinitam habeat cognoscendi, quæ in ipsa continentur, et ea simul repræsentandi; nonne mens illa crystallina æterna et infinita ea omnia, quæ rationem essendi quomodocumque habent, in se ipsis contueretur? Habes igitur rude aliquod exemplum, et adhuc infinite deficiens a realitate, Intellectûs illius divini objecta omnia transacta, exsistentia, ac extitura intelligentis.

Et hæc ad demonstrandam Propositionem sufficere videntur, notetur tamen quoad futura libera et conditio-  
nata:

123. 1.<sup>o</sup> Deo futura omnia sunt ab æterno præsentissima: «Quis hominum, inquit S. Pater (1), potest istam »capere Sapientiam, quâ Deus novit omnia, ita ut nec »ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea, »quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut ve-

---

(1) *De Trinit., lib. 15. c. 7.* «Quid est præscientia, alibi ait, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt Ei futuræ, sed præsentēs, ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia dici potest.» *De diversis Quæstionibus ad Simplicianum, Lib. 2. q. 2. n. 2.* Brevius S. Anselm.: «Præscientia Dei, inquit, non proprie dicitur præscientia; cui enim omnia sunt semper præsentia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentium scientiam.» *De casu diaboli c. 21.*

»niant, sed et præterita et futura cum præsentibus sint »cuncta præsentia?» ergo Deus et futura libera evenientia ut libera, et necessaria venientia necessario, certo ac infallibiliter actu præsentī ac æterno cognoscit.

Rursus, certitudinem et infallibilitatem Scientiæ Dei de futuris liberis demonstrat universarum gentium consensus. Omnes enim gentes liberarum actionum futurarum præscientiam, tanquam proprium Divinitatis attributum, agnoverunt. Hinc prophetiæ Dei nomine propositæ, hinc oraculorum consultationes, et divinatio: hinc in divina Providentia fides et spes; hinc orationes, preces et sacrificia, ut Deus malum avertat et ad bonum exitum nos ducat etc. *Accedant*, ait Isaias increpans idola, *et nuntient nobis quæcumque ventura sunt..... Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos* (1).

Insuper, ex historia constat multos fuisse eventus futuros tum necessarios, tum præsertim liberos et conditionatos a Deo certo et infallibiliter prænuntiatis, ut testantur Sacræ Litteræ et Historiæ ecclesiasticæ.

124. 2.<sup>o</sup> Cognoscere etiam Deum futura conditionata, nempe quæ nunquam fient, sed quæ fierent, si a causis liberis impleretur conditio, quam non implebunt, certissimum est, et constat tum ex Sacris litteris et unanimi Scriptorum consensu; tum ex eo quod futura conditionata sunt *cognoscibilia* ac perfectius est illa cognoscere, quam ignorare; objectum autem intellectûs est omne cognoscibile; ergo intellectus ille infinitus et summe perfectus illa ignorare non potest; tum quia si Deus ignoraret quid creatura libera actura est in quibusdam adjunctis, Decreta divina et Providentia temeraria essent, cæca, improvida et ludatoria; tum denique quia hujusmodi futura non minus vera sunt, quam quæ absolute futura sunt; imo futurum contingens est secundum ra-

---

(1) Cap. 41., v. 22. et 23.



tionem prius verum conditionate, quam absolute: v. gr. si certum est quod Petrus, positus in talibus circumstantiis, peccet, certe, antequam in his positus esset, verum erat, quod, si in iis poneretur, peccaret. *Confiteri* igitur, concludam cum S. Patre, *esse Deum, et negare præscium futurorum, apertissima insania est* (1).

125. Ex dictis sequitur, Deum cognoscere certissime et infallibiliter intimas cordis cogitationes, et quæcumque peccata seu deficientia a recta morum regula; etenim Deus per essentiam et per potentiam *intimius est intimo nostro*; insuper cordium cogitationes vel ad bonum sunt, vel ad malum: si ad bonum, ab ipso Deo præmovere efficientur: si ad malum, ex ea parte quæ sunt a Deo cooperante proveniunt, ex parte quæ deficiunt permittuntur limitationi et deficientiæ creaturæ, sinente Deo, ut mutabilis creatura sponte et libere ab incommutabili bonitate deflectat. At novit Deus quidquid misericorditer operatur, providoque consilio permittit.

126. QUÆRES: quo modo, seu in quo *medio* Deus omnia cognoscat?

Nota: 1.<sup>o</sup> Medium cognitionis et scientiæ vocant Philosophi ac Theologi causam cognitionis, id est, illud quod prius cognitum ducit in alterius cognitionem, inde prodierunt voces cognitionis *immediatæ* et *mediatæ*: prima est cum nullo vertente medio inter facultatem intellecticem et objectum, videtur res in se ipsa, quemadmodum videntur in mente rationes primo intelligibiles et veritates intime affulgentes, et ab oculo interius exarata corporaliū rerum imagines; altera est cum mediante principio aliquo devenit mens in cognitionem alterius, ut mediante speculo et imagine venit in cognitionem rei imaginatæ.

---

(1) *De Civ. Dei*, lib. 5. c. 9; Vid. *Lib. De Corrept. et gratia*, c. 8: *De Dono persev.*, c. 11.

Itaque duobus modis res aliqua cognoscitur: in ipsa re, et in alia re. Res in ipsa re cognoscitur, quando per propriam ejus speciem intelligitur, videlicet, quando res ipsa cognoscentem ad cognoscendum determinat; alia vero in re, cum intelligitur per alterius rei speciem.

127. Jam vero certo certius est: Deum omnia cognoscibilia cognoscere in se ipso, et in incommutabili rerum intelligibilium ratione á se penitus indistincta, et etiam immediate secundum esse, quod habent in se ipsis. Etenim divinus Intellectus est primum exemplar *formale* omnium intelligibilium ab æterno determinatum ad cognoscenda omnia cognoscibilia; actus ejus non possunt ullo modo dependere á re quacumque á divina Essentia distincta. (Vid. *Ontolog. Disp. 6.<sup>a</sup> prop. IV. pag. 45*). Equidem omnia cognoscibilia Deus in se ipso cognoscit triplici potissimum ratione: ac 1 quidem ut rerum omnium sive possibilium sive existentium causa efficiens: 2 ut illarum causa exemplaris, seu idea archetypa, radicalis, objectiva (divina Essentia) omnium quæ sunt vel esse possunt: 3 ut in se continens secundum modum quemdam excellentiorem omnes et singulas perfectiones omnium creaturarum (1).

Cum vero rationes rerum incommutabiles Deus cognoscat in Verbo, possumus etiam cum Vasquezio sustinere, Deum omnia videre in Verbo ut in purissimo ac æterno speculo: »Quidquid enim facturus erat Deus in creatura, jam in Verbo erat, inquit S. P. Augustinus (2); »nec esset in rebus, nisi esset in Verbo».

128. Futura, ut futura, dici etiam potest, Deum videre et cognoscere in suis decretis et prædefinitionibus: cum autem decreta Dei sint ipsa incommutabilis idea,

---

(1) Cons. S. Thom., 1. P. Q. 14 á. 3. et 6.; et *sum. Cont. Gent, Lib. 1. c. 49.*

(2) *Enarr. in Psal. 45, n. 5.*

summa rerum ratio; sapientia, omnipotentia et voluntas Dei idem Deus sint, sequitur utcumque, Deum omnia cognoscere in se ipso.

129. Si quæretur: quo modo Deus cognoscat futura conditionata. Id aliquo modo intelligi dabitur, primo considerata vi divini Intellectûs, qui certe quidquid verum est, penetrare potest, et infallibiliter judicare quid in quolibet enuntiabili veri sit, aut falsi. Insuper, quemadmodum divina Essentia, quia entium liberorum essentias divino Intellectui cognoscendas perfecte exhibet, exhibet quoque illi cognoscenda individua omnia, quæ essentias illas participare possunt; ita, quia hæc individua ipsa perfecte repræsentat, eorum quoque voluntatem repræsentet necesse est, non modo ut potentiam ad plura indifferentem, sed etiam ut agentem sub quibusvis adjunctis, ea prorsus ratione, qua sub adjunctis iisdem revera ageret; cognoscit hæc igitur Deus et in se ipso, et in ipsorum esse proprio, quod haberent, id est, hypothetico (1).

Et hæc pro nostro instituto sufficiant.

---

*Difficultas contra scientiam futurarum liberarum actionum.*

130. *Obj.* »Aliter fieri non potest quod Deus præscivit (2)». »Necesse est esse futurum, illud quod Deus »præscivit (3)».

Atqui quod necessario futurum est, liberum non est. Ergo vel futura Deus non cognoscit, vel libera jam non sunt, vel scientia Dei falli potest.

---

(1) Cons. Salv. Tong., *Inst. Phi.*, Tom. 3., *Th. lib. 3. c. 3* art. 5.

(2) S. P. Aug., *De Genes.*, lib. 6. c. 22.

(3) S. Anselm., *De Concordia præscient et libert.*

*Resp. 1.º Dist. maj.* Aliter fieri non potest necessitate consequenti, seu suppositionis ad prævisionem seu præscientiam, *conc. maj.*; fieri non potest necessitate antecedenti et absoluta ad præscientiam, *nego maj. Contradist. min.*, et *nego conseq.*

Est porro necessitas *antecedens* illa, vi cuius res fit, eaque tunc locum habet, cum rei causa est ad unum determinata. Necessitas vero *consequens* illa est, quam facit res, nimirum quæ sequitur ex rei suppositione; posita enim re, non potest non esse posita. Et *sicut tu*, inquam cum S. Patre (1), *memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt.*

*Resp. 2.º Dist. maj.* Aliter evenire non possunt præscia connotative ad scientiam Dei et primam causam immutabilem, *conc.*; comparate ad causas proximas mutabilitate permixtas, *nego.*

*Resp. 3.º Et melius. Dist. maj.* Quod Deus præscivit necesse est esse futurum, id est, infallibiliter veniet secundum agentis naturam, libere in liberis, necessario in necessariis, *conc.*; absoluta necessitate, *nego.* Tantum abest, ut præscientia Dei imponat causis liberis necessitatem, quin potius ab ipsa Dei præscientia conservatur libertas. Etenim, ut argumentatur S. P. Augustinus (2), futura eodem modo reipsa futura sunt, quo á Deo per præscientiam futura cognoscuntur. Atqui præscivit Deus quædam libere eventura, neque enim præscientia Dei naturam nostræ voluntatis destruit, quæ voluntas non esset, nisi esset in nostra potestate. Ergo illa libere evenient. Non igitur per Dei præscientiam mihi potestas adimitur, quæ præterea mihi certior aderit, quia Ille,

---

(1) *De liber arb., lib. 3. c. 4. n., 11.*

(2) *De liber. arbit., Lib. 3 c. 3.*

cujus præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit.

DISPUTATIO 8.<sup>a</sup>—DE VOLUNTATE DEI.

131. De Voluntate Divina acturi iterum in mentem revocare oportet, Voluntatem divinam esse ipsammet divinam Essentiam, et ejus actus non esse realiter distinctos ab actu divini Intellectûs, sed esse aliquid identice unum et idem, nimirum ipsammet Essentiam divinam.

Etsi tamen hæc vera sint, Voluntatem divinam ab Essentia et cæteris attributis distinguimus per mentis abstractionem ob varios respectus, variosque effectus ac terminos, quos respicit.

Imo ipsam voluntatem, licet Deus unico simplicissimoque actu voluntatis velit quidquid vult, multiplicem tamen in eo distinguimus.

132. Itaque Voluntas divina alia dicitur *necessaria*, alia *libera*. Alia *positiva*, alia *negativa*. Alia *beneplaciti*, alia *signi*. Alia *antecedens*, alia *consequens*. Alia *absoluta*, alia *conditionalis*. Alia denique *efficax*, alia *inefficax*. Antequam vero has definiamus notare oportet:

133. 1.<sup>o</sup> *Actus omnes voluntatis, qui imperfectionem aliquam sibi implicitam continent, non possunt divinæ voluntati formaliter convenire*, et metaphorice solummodo ipsi tribuuntur, vel *propter similitudinem effectuum*, quemadmodum quia irati hominis proprium est punire, impassibilem Dei voluntatem, quâ sontes punire vult, iram Dei dicimus; vel *propter similitudinem affectionis præsuppositæ*, quæ proprie in Deo sit, quo pacto dicitur Deum tristari, quatenus aliqua fiunt iis, quæ amat, contraria; amor enim ejus, cujus oppositum contingit, tristitiam in nobis præcedit, ab eaque præsupponitur.

2.<sup>o</sup> *Id vero actus, qui secundum suam speciem nullam continent imperfectionem proprie in Deo sunt, non me-*

*taphorice*. Hujusmodi sunt *amor*, quo Deus et bonum suum, seu se ipsum vult propensione infinita ac necessaria, et bonum omnium quæcumque sunt libera electione; tum *gaudium* et *delectatio*, qua et in bono quod habet, et in bono quod facit, ineffabiliter conquiescit (1).

134. a). Jam vero redeundo ad distinctiones divinæ Voluntatis, has accipe definitiones. Voluntas *necessaria* illa est, quæ circa absolute necessaria versatur, seu cujus actus quoad terminum necessarius est, talis est ille quo Deus seipsum amore prosequitur.

b). Libera illa est, quæ circa contingentia versatur, seu cujus actus quoad terminum liber est, talis est ille quo Deus vult omnia à se distincta.

c). *Positiva* voluntas illa est, quâ Deus vult in se directe ac positive aliquod objectum, ut creationem, sanctificationem.

d). *Negativa*, seu potius *permissiva* illa est, quâ Deus positive quidem et directe non vult objecti existentiam, sed nec vult eam impedire, licet veniat contra ejus voluntatem antecedentem, uti est peccatum et damnatio.

e). Voluntas *beneplaciti*, voluntas proprie dicta, est actus interior, quo Deus aliquid vere vult, tanquam sibi gratum et beneplacens, hæc subdividitur in antecedentem et consequentem.

f). Voluntas *signi* est res aliqua, vel actio, quæ cum in hominibus voluntatis signum esse soleat, in Deo etiam voluntas metaphorice dicitur. Quinque autem potissimum sunt modi, quibus homines voluntatem suam significant: nempe *præcipiendo*, *prohibendo*, *permittendo*, *suadendo*, et *operando*, hoc versu exprimi solent

---

(1) Salv. Tong., comp. *Inst. philosoph.*, lib. 4. c. 4. art. 3.



*Præcipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet.*

Si quid enim *præcipiunt* aut *suadent*, id, quantum in ipsis est, volunt ut fiat; si quid *prohibent*, volunt non fieri; si quid *operentur*, modo libere, non inviti, id sine dubio volunt; si quid *permittant*, quod impedire possunt, id velle censentur. Jam vero hæc signa, imperfectionibus præcisis, transfer in Deum.

g). Voluntas beneplaciti *antecedens* (e), cujus vocis non eadem est interpretatio (1), apud multos ex antiquioribus Theologis scholasticis ea est, quæ versatur circa auxiliorum concessionem, et cæterarum omnium rerum, quæ prævie necessariae sunt ad finem consequendum.

h). *Consequens* vero est ea, quâ finis ipse intenditur et per executionem mediorum obtinetur. Sic docent, Deum voluntate *antecedenti* velle omnes homines salvos fieri, quia et omnes in via salutis collocavit, et omnes jus habent ad media necessaria ad salutem consequendam: *velle*, inquit S. Bonaventura, *antecedenter salvare, non connotat salutem, sed ordinabilitatem ad salutem* (2). Consequenti vero voluntate non omnibus illa media patent, quia non omnibus efficaciter applicantur (3).

Post S. vero Thomam multi Theologi cum eo per voluntatem *antecedentem* eam intelligunt, quâ Deus vult aliquid in se spectatum, et præcisis circumstantiis, quæ illi possunt adjungi; sic Deus v. gr., inquit S. Doctor, *vult antecedenter hominum salutem*, quia si generatim, et præcisis omnibus circumstantiis, genus humanum

(1) S. Joan. Chrysost., vocat has voluntates, antecedentem et consequentem, *primam* et *secundam*. Homil. 1. in Epist. ad Ephes. (1)

(2) In 1. sent., dist. 46., q. 1. a. 1. (2)

(3) Cons. Catechismum Rom. Part. 2. c. 4. n. 24. (3)

spectetur, bonum est quemlibet hominem salvum fieri. Voluntatem vero *consequentem* eam dicunt, quâ Deus vult aliquid simpliciter et absolute, spectatis omnibus circumstantiis; sic Deus vult hominem in mortali peccato morientem damnare (1).

Apud nonnullos vero Theologos voluntas beneplaciti *antecedens* ea est, quam habet Deus ex se ipso, seu *cujus ipse causa* et ratio sufficiens est, non expectata occasione vel causa ex parte creaturæ, idcirco quæ vult objectum præcisis omnibus circumstantiis (2). Talis est voluntas salvandi reprobos. *Consequens* est ea, quam Deus non habet ex se solo, sed data occasione vel causa ex parte creaturæ, *ex nostra ortum habens*, idcirco *præsupponit præscientiam operum* et omnes circumstantias, *non tanquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti*, ut ait S. Thomas (3). Talis est voluntas damnandi reprobos præsupposita impenitentia finali.

i.) Voluntas *absoluta* est illa, quâ Deus aliquid vult absolute et sine conditione ex parte objecti. Talis est voluntas qua Deus vult mandata sua ab hominibus servari.

1.) *Conditionata* est illa, quâ Deus vult sub aliqua tantum conditione ex parte objecti à qua pendet. Talis est voluntas, quâ Deus populum suum Israël servare volebat a captivitate, si mandata ejus servaret.

m.) Voluntas *efficax* ea est, quæ infallibiliter habet effectum suum, seu cui respondet realis existentia objecti voliti.

n.) *Inefficax* ea est, cui non respondet existentia objecti voliti voluntate antecedenti, seu ea quæ non habet effectum suum, non quidem ex defectu Potentiæ

---

(1) 1. P. q. 19. a. 6. ad 1.

(2) S. Joan. Chry., *De Fide Orthodoxa*, lib. 2. c. 29.

(3) In I. Sent., Dist. 46., q. 1, a 1.

divinæ, sed quia Deus propter rationes ipso dignas non removet obices quos potest tollere.

Notandum sedulo est, voluntatem absolutam non converti cum efficaci. Omnis enim voluntas efficax est absoluta, at non omnis voluntas absoluta est efficax.

His præjactis sit

135. PROPOSITIO I. *Est in Deo voluntas proprie dicta, non ut facultas ad actum reducibilis, sed ut purissimus actus ab æterno determinatus ad volendum quidquid vult.*

*Prob. 1 pars.* Quælibet res ita naturâ suâ comparata est, ut si perfectionem sibi consentaneam assecuta sit, in ea quiescat, sin autem eâ careat, ipsam assequi nitatur. «Unde et natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem similem habitudinem habet, ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo, cum vero non habet, quærat ipsum, et utrumque pertinet ad voluntatem. Unde in quolibet habente intellectum est voluntas... Et sic oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in Eo intellectus: et sicut suum intelligere est suum esse ita suum velle (1)».

Insuper, voluntas est maxima perfectio simplex; ergo eâ carere non potest Deus optimus. Præterea creaturæ intelligentes habent voluntatem; ergo Deus earum causa non potest non illam habere.

Denique, si Deus voluntate careret, destitutus esset pluribus perfectionibus; ut v. gr. 1.º dominio et potestate in res: 2.º non esset felicissimus; summa enim felicitas est in possessione et delectatione summi boni: 3.º non esset Ei tribuenda justitia: 4.º nec summa liberalitas (2).

---

(1) S. Thomas, *Sum. th.*, 1. P. Q. 19. á 1.

(2) Vide hæc apud S. Bonaventuram, *In lib. 1. Sent. Dist. 45 á. 1. Q. 1. in arguend.*

*Altera pars* probatur 1 ex rationibus supra allatis (119) ad probandum divinum intellectum esse actum purum. 2.<sup>o</sup> Voluntas ex essentia sua activa, ideo circa aliquid remanet indeterminata, seu ideo á volendo, aut nolendo abstinet, quia ab intellectu ipsi non proponuntur omnes rationes, quibus determinari possit: atqui ex probatis intellectus divinus actu purissimo ac perfectissimo ab æterno omnia intelligibilia cognoscit. Unde si semel Deus fuisset indeterminatus circa aliquos actus, semper indeterminatus necessario deberet manere; tum quia Essentia sua æterna, simplicissima et immutabilis est ratio voluntatis et voliti; tum quia nulla nova cognitio nec ratio Ei supervenire potest, ut voluntatem mutet.

136. PROPOSITIO II. *Objectum primum et adæquatum divinæ voluntatis est Deus ipse; idcirco se ipsum Deus necessario amat.*

*Prima pars* ita breviter demonstratur a S. Thoma: «1.<sup>o</sup> Bonum intellectum est objectum voluntatis. Id autem, quod á Deo principaliter intelligitur, est divina Essentia. Divina igitur Essentia est id, de quo principaliter est divina voluntas.»

2.<sup>o</sup> Unicuique volenti principale volitum est suus ultimus finis; nam finis est per se volitus, et per quem alia fiunt volita. Ultimus autem finis est ipse Deus, quia ipse est summum bonum. Ipse igitur est principale volitum suæ Voluntatis (1).»

Insuper, divina voluntas, cum sit ipsemet Deus, est infinita; ergo solummodo bono infinito exsatiari potest; ergo solus Deus potest esse suum adæquatum objectum.

*Secunda pars* sequitur ex prima; etenim divina Bonitas, utpote quæ infinita est, objectum adæquatum

---

(1) *Sum. Cont. Gent.*, lib. 1. c. 74.

divinæ voluntatis constituit, ejusque amorem omnino explet; omnis autem facultas ab objecto, à quo expletur, omnino determinatur ac rapitur; ergo etc.

Insuper, Voluntas necessario adhæret ultimo fini, ita ut oppositum nequeat velle; atqui divinæ voluntatis non est alius finis, quam ipse Deus, ergo Deus necessario vult se ipsum.

Denique, divina Bonitas est objectum necessario conexum cum divina felicitate, imo illam efformat; atqui objectum felicitatis omnimodæ à cognoscente non potest non amari; ergo etc.

Postremo, ratio omnis *esse* creaturarum et earum omnis perfectio essentialiter Deo convenit; atqui ad perfectionem voluntatis pertinet, ut in objectum pro ejusdem merito et conditione feratur; ergo in se ipsum essentialiter fertur.

137. PROPOSITIO III. *Deus amat creaturas propter propriam suiipsius Bonitatem, ideoque secundario.*

*Prob.* Breviter «Voluntas consequitur intellectum: sed Deus suo intellectu intelligit se principaliter, et in se intelligit omnia alia: igitur simul principaliter vult se, et volendo se, vult omnia alia.»

Præterea, Deus volendo se vult omnia quæ in ipso sunt: omnia autem quodammodo præexistunt in ipso per proprias rationes (1); Deus igitur volendo se, etiam vult alia (2).

Deinde, Deus creaturis suis multa elargitur bona, ac primo existentiam, conservationem, et quicquid ipsarum conditioni et rerum ordini maxime congruit; ergo vere illas amat amore benevolentiae; hic autem amor non habere potest ut finem ultimum creaturas, alioquin Deus

---

(1) Ontolog., *Disp.* 6.<sup>a</sup> *Prop.* IV.; *pag.* 326.

(2) S. Thom., *Sum. Cont. Gent.*, lib. 1. c. 75.

ad alia á se distincta ordinaretur, quod repugnat; objectum igitur specificativum divinæ charitatis non potest aliud esse, quam ipse Deus, ratio prima, et ultimus omnium finis. (Vide *Cosmolog.*, Art. 3. Disp. 7.<sup>a</sup>, pag. 278).

138. PROPOSITIO IV. *Gaudet divina voluntas vera libertate ad extra, id est, quoad res extra se.*

*Prænotandum* sedulo est: 1.<sup>o</sup> divina voluntas circa res finitas libertate gaudet *contradictionis* et *specificationis*, non vero libertate *contrarietatis* (*Dynam.*, n. 196. seg., pag. 165); quia hæc indifferentiam dicit ad bonum ac malum morale eligendum. Nulla enim inordinatio in divina voluntate esse potest.

2.<sup>o</sup> Nulla est in divina voluntate implicita deliberatio, quatenus hæc iudicii suspensionem, et voluntatis cunctionem importat. Hæc enim deliberatio ex defectu cognitionis consequitur.

3.<sup>o</sup> Cum in Deo nulla sit ignorantia, nullaque mutatio, ab electione semel facta recedere nunquam potest. Quare semel tantum suam Deus libertatem exercuit, et hoc unico actu omnia constituit, quæ in serie temporum voluit, fecit, permisit (1).

*Demonst.* nunc Propo. 1.<sup>o</sup> *Esse liberum*, quia est esse sui juris, et dominum suarum operationum, est singularis perfectio, ut patet in Angelo et in homine, qui ob eandem præferuntur creaturis cæteris, et est perfectio simpliciter simplex, esto quod in ente finito quibusdam sit admixta defectibus, qui á subjecti limitatione oriuntur; ergo Deus, Ens perfectissimum et omnium causa prima, libertatem formaliter habeat necesse est.

2.<sup>o</sup> Deinde, nulla res extra Deum potest esse adæquatum objectum divinæ cognitionis, ac proinde nec divinæ voluntatis; atqui voluntas solummodo trahi potest

---

(1) Cons. l. c.



ab objecto explente ejus capacitatem et cognito ut tale; ergo voluntas Dei, quæ est capacitas infinita, circa nullam rem creatam necessitari potest.

3.<sup>o</sup> Amplius, si Deus liber non esset, nulla res esset contingens, omnia essent necessaria et æterna non modo quoad existentiam, verum etiam quoad modum existendi et operationem; cum omnia á Deo pendeant et quocum colligata sunt.

4.<sup>o</sup> Denique, voluntas solum necessario vult ea, sine quibus finis esse non potest, non autem ex necessitate, sed libere vult ea, sine quibus finis esse potest; » atqui Deus vult alia a se, in quantum ordinantur ad suam Bonitatem, ut in finem. Bonitas autem Dei est perfecta, et esse potest sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat; ergo Deus res extra se solummodo ex suppositione quod velit, necessario vult, cum voluntas ejus mutari non possit, libere tamen determinavit se ad eas volendas (1).» Ergo *gaudet* etc.

139. QUÆRES: in quo reponenda sit divina libertas. Etenim actus quo Deus amat et vult creaturas, est idem quo vult et amat se ipsum, sive est idem ac ipse Deus, actus purissimus, necessarius et immutabilis. Ex altera vero parte natura actûs liberi est, ut possit esse, vel non esse; pugnantia autem hæc videntur.

*Respondeo* imprimis, difficile admodum esse, seu potius impossibile imbecillitati et ignorantiae nostræ mentis solvere cum debita claritudine mysterium hoc; tamen ex hoc non sequitur verissimas non esse Propositiones demonstratas. Ad solutionem igitur, omissis variis sentiis, notandum est:

Liberam volitionem Dei spectari posse: aut ratione *entitatis* divinæ, quatenus nempe est in Deo: aut ratione *terminationis* ad creaturas. Si priori modo consideretur,

(1) S. Thomas, *Sum. Th.*, 1. P. Q. 19. a. 3. in corp.

est quidem necessaria, sin altero, est libera. Quare illud quod actus Dei liber addit supra necessarium, non est aliud, nisi respectus, habitudo, seu relatio hujus actûs ad creaturas, ut terminus libere volitus, quippe quæ nihil conferunt ad entitatem et perfectionem actûs in se. Rursus hæc terminatio potest et ex parte Dei et ex parte creaturarum spectari. Si ex parte Dei consideretur, quatenus est actio vitalis et intrinseca, non distinguitur ab ipsa Substantia Dei necessaria, æterna, immutabiliter intelligens ac volens; si vero ex parte creaturarum, est aliquid defectibile, seu quod deesse possibile est: itaque

Libertas Dei non consistit in entitate actûs in se et intrinsece considerati, sed consistit in entitate volitionis divinæ *pro nutu suo respicientis et connotantis objectum contingens*: adeoque *subjectum* hujus libertatis est unicus, simplex, necessarius et immutabilis actus divinæ voluntatis; *terminus* est aliquid extra Deum; *exercitium* est activus respectus, habitudo seu relatio illius ad hunc: Quare libertas Dei est ex genere illorum, quæ connotative, non absolute dicuntur, scilicet, unum significant, et aliud consignant. Primum est ipsamet Dei Natura, quæ est et suum esse, et sua operatio; alterum vero est quidquid in aliqua temporis differentia efficitur.

Itaque ad difficultatem respondetur *distinguendo*: actus quo Deus etc., *entitative* consideratus, *conc.*; *terminative*, *nego*.

*Inst.* tamen. Si Deus esset liber, posset de novo aliquid velle; atqui non potest, utpote immutabilis; ergo etc.

*Resp. nego. maj.* Nam ad libertatis essentiam pertinet, ut quis possit velle, vel nolle, atque cum indifferencia activa hoc vel illud eligere; non vero ut quod semel quis voluit, aut eligit, possit istud postea nolle; hoc enim supponit in rei volitæ cognitione imperfectionem, quæ, cum in Deo non sit, non potest velle quod antea noluit. Error noster ex eo oritur, quod de Dei

libertate ideam nobis efformamus ex nostra necessario imperfecta et limitata libertate.

*Inst.* Saltem ab æterno potuit actus libertatis non esse; ergo, si potuit non esse, non constituit Dei essentiam; ergo potest nunc abesse.

*Resp. Dist.* Potuit non esse quoad *terminum*, *conc.*; quoad se seu *entitative*, *nego.*; recale dicta.

*Inst.* Deus vult alia a se propter Bonitatem suam; atqui Bonitatem suam necessario amat ac vult; ergo eadem necessitate vult et amat alia.

*Resp. Dist. maj.*, ita tamen, ut Bonitas sua sine aliis perfectissima esse possit, quin ad res ordinetur, *conc.*; ita ut Bonitas sua ad res ordinetur, et sine ipsis esse non possit, *nego.* Itaque res necessario ordinantur ad Bonitatem Dei manifestandam, et ex hinc ad Dei extrinsecam gloriam, sub hac tamen conditione: modo res illæ reapse condantur. (Cons., Cosmolog., *Disp.* 7.<sup>a</sup> §. I., pag. 278.)

Et hæc, pro instituto nostro, sufficiant de Attributis Dei absolutis; agemus nunc breviter de iis, quæ rerum creaturarum existentiam, actiones, et directionem in finem *respiciunt*.

## ARTICULUS QUARTUS.

### *De operibus Dei ad extra, seu De Attributis Dei respectivis.*

140. Attributa Dei respectiva dicuntur quæ *relationem* aliquam involvunt ad res externas. Hæc vero relatio, ut alibi diximus, si consideretur prout est in rebus ad Deum, est realis, si in Deo ad res extrinseca est et puræ denominationis, seu logica.

In rebus creatis, quoad Dei operationem in ipsis, tria

considerare possumus: *existentiam* nempe, *operationes* et *directionem* in finem. Quantum ad *existentiam* vero attinet duo distinguere possumus, scilicet, *initium*, seu transitum rerum ab statu puræ possibilitatis ad realem et physicam existentiam, et *continuationem* seu persistentiam in existendo: jam vero hæc actio ultima vocatur conservatio. Igitur, cum Deus influat in existentiam seu in esse physicum creaturarum *Creatione*, in persistentiam in existendo *Conservatione*, in creaturarum operationes *Concursu*, et in directionem in finem *Providentiâ*, de iis breviter agendum jam est.

DISPUTATIO 9.<sup>a</sup>—DE CREATIONE.

141. *CREATIO* definiri solet: *Productio rei ex nihilo sui et subjecti*, id est, *transitus in instanti indivisibili substantiæ alicujus, sine ulla materia ex qua fiat, ab statu puræ possibilitatis ad esse reale et positivum*: cum enim fit existens ens aliquod, cujus neque subjectum, neque ulla constitutiva præexistebant, tunc ens illud dicitur oriri *ex nihilo sui et subjecti* seu *creari*. Si vero incipit existere ens, cujus subjectum vel constitutiva jam existebant, tunc dicitur *effici*, vel simpliciter *produci*, aliquando etiam *generari*.

142. De multis, quæ cum præsentî quæstione connec-  
tuntur, jam aliis in locis disseruimus, v. gr.: materiam,  
ex qua mundus componitur, à Deo fuisse creatam et or-  
dinatam demonstravimus in COSMOLOGIA *Disp.* 6.<sup>a</sup>, pag.  
254. §. I. et II., vid. etiam *Disp.* 4.<sup>am</sup> et 5.<sup>am</sup> *ibid.*: Utrum  
aliqua creatura præsertim ex incorruptibilibus potuisset  
esse ab æterno, investigavimus *ibidem* pag. 275.: Qui sit  
finis ultimus et quodammodo ratio ad quem et propter  
quam Deus hunc mundum condidit, et utrum sit hic  
mundus optimus possibilium vidimus *ibidem*, *Disp.* 7.<sup>a</sup> §.  
I. et II., pag. 278. seq. Itaque perpauca sunt quæ trac-

tanda remanent; igitur, Creationis ideâ aliquantulum enucleatâ, demonstrabimus, solum Deum creandi potentiam habere.

143. Ac primo *creatio fit in instanti indivisibili*: sicut enim ratio entis una est ac indivisibilis, ita uno ac indivisibili instanti esse physicum recipit.

2.<sup>o</sup> Creatio considerari potest ut *activa*, et ut *passiva*. Ut *activa* est ipsa Dei actio æterna, substantialis et proprie immanens, et solummodo æquivalenter transiens, quatenus nempe ei respondet terminus realis. Ut *passiva* est ipsa substantia rerum quatenus *esse suo* respondet activæ creationi.

3.<sup>o</sup> *Creatio non est mutatio*, nisi secundum modum intelligendi tantum. Nam de ratione mutationis est quod aliquid idem se habeat aliter nunc, et prius. Sed in creatione, per quam producit totum esse et substantia rei, non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc, et prius, nisi secundum intellectum tantum. Substantia, quæ creatur, antequam crearetur, erat pura possibilitas, et *ut sic* ab intellectu concepta.

4.<sup>o</sup> Creatio præsupponit *intrinsecam* possibilitatem rei creandæ à divina Essentia *radicaliter*, et à divino Intellectu *formaliter* dependentem, et possibilitatem *extrinsecam* relate ad primam causam universalem.

5.<sup>o</sup> Denique *creatio implicat quamdam relationem*, seu habitudinem in creante et creato. Relatio vero hæc in Deo ad creaturas non est realis, sed secundum rationem tantum, in quantum scilicet creaturæ referuntur ad ipsum; quia Deus est extra omnem ordinem ad creaturas: relatio vero creaturæ ad Deum est relatio realis ut ad principium sui esse, quæ relatio continetur *in dependentia esse creati a suo principio cum novitate essendi*. His præjactis breviter statuitur sequens.



144. PROPOSITIO. *Solius Dei propria est actio creatrix.*

Hæc propositio, exclusiva cum sit, has duas partes habet: 1. *Deus habet propriam virtutem creandi*: 2. *nulla creata virtus creare potest.*

Veritas *primæ partis* constat ex ipso facto creationis. Et profecto, Deus est prima causa universalis, primum ens subsistens et plenitudo essendi; omnes autem aliæ res sunt contingentes, ideoque productæ, si enim improductæ essent, essent ens à se, si essent ens à se, haberent plenitudinem entis, atque ideo essent infinite perfectæ, necessariæ, immutabiles etc., quod plane repugnat. Atqui quæcumque res producitur in suo esse, seu secundum suum esse, ex nullo præsupposito subjecto seu materia producitur; etenim *esse* nihil præsupponit prius: nam si quid præsupponit, vel illud est ens, vel nihil est. Si nihil est, jam *esse* nihil præsupponit. Si est ens, rursus quæritur, an illud aliud ens præsupponat aliquid prius. Primum ergo Ens subsistens, prima universalis causa, quæ dat omnibus esse, producit res, nullo præsupposito subjecto; ergo Deus producit res ex nihilo, id est, ex nulla præjacente materia (1).

Insuper, Deus efficere potest quidquid intrinsecam repugnantiam non involvit; Quæ autem repugnantia fingi potest in eo quod quædam, antea nullo pacto existentia, exstare incipiant per infinitam supremi cujusdam agentis virtutem? profecto nulla, etsi modus incipiendi captum nostræ limitationis superet; ergo Deus potest creare (2).

Præterea, modus operandi sequitur modum essendi; etenim operatio à natura proficiscitur, atque ideo assimilatur principio, unde profluit; atqui Deus essendi ple-

(1) Cons. Cosmolog., *Disp.* 5.<sup>am</sup> et 6.<sup>am</sup>

(2) Cons. S. Thom., *sum. th.*, 1. P. Q. 44., *art.* 1. et 2.; et Q. 45. a. 2.



nitudine gaudet et existentiâ absolutâ; ergo sicut in essendo ita et in operando absolutâ independentiâ â quacumque re gaudere debet; non gauderet autem si ad operandum materiâ præjacente indigeret; ergo etc.

Denique, mundus exstat, exstamus nos, mundus creationem expostulat, expostulat animus noster simplex et intelligens; ergo etc.

Dices cum Xenophane: *Ex nihilo nihil fit*, atqui creatio importat effectiorem ex nihilo; ergo repugnat.

*Resp. dist. maj.*, Ex nihilo, id est, nulla præexistente causa efficiente, seu ex nihilo absoluto, *conc.*; ex nihilo, id est, nulla præjacente materia, nihil fit, *subdist.*, virtute finita, *conc.*; virtute infinita, *nego*. Super intelligentia hujus gentilium Philosophorum axiomatis jam alias egimus.

145. *Secunda pars* videtur evidens, et amplissima refutatione invenietis contritum â Ss. Patribus errorem Gnosticorum ponentium, Æones quosdam sub summo Deo esse, veluti Deos minores, quibus Deus uteretur ad substantias inferiores creandas et regendas. In eundem errorem impegerunt Ariani ponentes, Verbum esse creaturam præstantissimam, per quam cætera facta sunt (1).

*Demonst.* tamen. Ac primo, inter puram possibilitatem et esse reale ac physicum est infinita improporatio seu distantia: nihilum et esse infinite distant; atqui ubi distantia est infinita et sub quodam respectu effectus est infinitus, requiritur virtus infinita, nulla autem creatura potest habere virtutem infinitam nec â se, nec ab alio; ergo nulla creatura virtutem creandi sustinere potest.

Insuper, Esse simpliciter est primus effectus entis creati; ergo non potest convenire nisi primo agenti, ha-

(1) Cons. S. P. Aug., *Tract. 1. in Joan.*; et *De Trinit.*; S. Hilarius, *De Trinit.*, lib. 4.

benti plenitudinem esse à se, seu necessario; etenim omnis effectus necessario proportionatur suæ causæ, et in illa aliquo modo continetur; atqui solus Deus est primum agens, habens plenitudinem esse; ergo solus Deus præcontinere et causare potest esse simpliciter, seu creare. Ergo cum repugnet, creaturam habere posse et virtutem infinitam et essendi plenitudinem, clare perspicitur, Deum non posse eam assumere ut instrumentum ad creandum, id quod vel ipsa experientiâ comprobatur. Ergo etc.

146. Superest nobis ad absolvendam hanc Disputationem breviter explicare: quomodo Deus sit causa mundi.

Quatuor causarum species numerantur, causa *efficiens*, *materialis*, *exemplaris* et *finalis* (1).

Jam vero Deus neque est, neque concipi potest, ut causa *materialis* mundi: 1.<sup>o</sup> quoniam est ejus causa efficiens, quæ absolute distincta est à causa materiali, alioquin esset causa efficiens sui ipsius; 2.<sup>o</sup> quoniam simplicissimus, æternus et immutabilis (2). Neque est, neque concipi potest, ut causa *formalis* effectui intrinseca, ob easdem rationes. E contra vero, quoniam Deus est causa effectrix mundi, consequitur Eum quoque esse causam ejus *exemplarem* seu *formalem extrinsecam*; quippe quod, cum Deus sit causa effectrix mundi infinite intelligens, ac per intellectum et voluntatem operans, res mundanas é nihilo condere non potuit, nisi secundum *ideas archetypas*, seu *exemplaria* illarum, quæ in se ab æterno habet (3). Est etiam Deus causa *finalis* mundi; omnia enim creata sunt et ordinata ad infinitas Dei perfectiones manifestandas (4).

(1) Vid. Ontolog., Disp. 17.<sup>a</sup> n. 243., pag. 141.

(2) Vid. Cosmolog., Disp. 4.<sup>a</sup> seq.

(3) Hinc distinctio ab antiquis agnita inter mundum *intelligibilem* et mundum *adspectabilem* seu *sensibilem*.

(4) Vid. Cosmolog., Disp. 7.<sup>a</sup> pag. 278.

DISPUTATIO 10.<sup>a</sup>—DE CONSERVATIONE.

147. CONSERVATIO ex parte Dei spectata est: *Actio illa, quæ efficit, ut res creatæ in accepta existentia perseverent.* «Conservatio est continuata creatio» ajebant Scholastici; non eo sensu, ut res singulis momentis in nihilum redeant, et iterum creentur; quod plane absurdum est, sed eo nempe quod entia contingentia eandem habeant indigentiam Voluntatis divinæ, ut existentiam continuent, quam habuerunt, ut existere inciperent, ut ex dicendis colligetur.

148. Duplex distinguitur conservatio, *positiva*, scilicet, seu *directa*, et *negativa* seu *indirecta*.

*Directa* seu *positiva* est illa divina actio, quâ jugi influxu confert rei conditæ ipsum esse simpliciter, quod in existentia accepit, à qua igitur actione perpetuo dependet.

*Indirecta* seu *negativa* in eo tantum consistit, quod res, postquam é nihilo conditæ sunt, propria virtute suam existentiam continuant, atque à Deo eatenus pendunt, quatenus Ipse positiva actione non annihilat.

Quapropter, posita conservatione *directa*, res in nihilum abirent, statim ac ab eis influxus divinæ actionis cessaret. E contrario, si tantum conservatio *indirecta* admitteretur, ad rerum annihilationem requiritur actus positivus divinæ voluntatis.

Quidam sunt qui rerum conservationem ex parte Dei volunt esse tantum *negativam*, contra quos sit

149. PROPOSITIO. *Omnia, quæ sunt, à Deo directe et positive conservantur.*

*Explic.* «Sicut aër, dum dies est, singulis momentis illuminatur a sole, et si quando sol desinit illuminare, statim affunditur tenebris, ita creaturæ singulis

»momentis habent *esse* à Deo; atque statim in nihilum reciderent, si actio divina vel uno momento ab eis cessaret.»

*Demonst.* Ac 1.<sup>o</sup> argumento desumpto a D. Thoma (1). Ut perfectio, quæ alteri communicatur, maneat in illo cessante actione agentis, necessario requiritur, *vel* ut hæc perfectio communicetur subjecto habenti jam ex se præviam virtutem eam sibi appropriandi, *vel* ut effectui communicetur illa ipsa perfectio, quæ est in agente actionis principium. Aliter perfectio communicata maneret in effectu sine ulla causa.

Atqui in creatione, per quam ipsum *esse* simpliciter rebus communicatur, neutrum contingit. Creator enim non communicat *esse* subjecto, quod ex se virtutem habeat servandi ipsum *esse*: tum quia creatio nullum præsupponit subjectum: tum etiam quia ipsum *esse* simpliciter non potest ab alia quapiam perfectione recipi ac servari. Neque potest effectui creato communicari ea perfectio, quæ in Creatore est creandi principium. Hujusmodi enim principium est ipsa Essentia divina plane incommunicabilis; fieri enim nequit, ut quod habet *esse* principiatum, sit ens a se.

Ergo *esse* simpliciter, quod rebus creatis communicatur, non potest in ipsis manere, cessante creationis actione. Ut ergo res creatæ *esse* perseverent, Creatoris actio perennis requiritur; quemadmodum ad hoc ut corpora opaca lucem diffundant, a corpore luminoso illam perenniter accipiant necesse est.

2.<sup>o</sup> *Demonst. ex rerum ipsarum natura.* Ratio continuatæ exsistentiæ rerum non continetur in rebus ipsis; si enim in rebus ipsis containeretur, foret: vel in ipsarum *essentia*: vel in *attributis*: vel in *modis*: vel in *exsistentia præcedenti*; præter hæc nihil est in ente. Atqui 1 non

---

(1) *Sum. Th.*, I. P. Q. 104 a 1. et *Ibi.*, Q. 8. a. 1.

*in essentia*; sicut enim quodvis ens pariter indifferens erat ad existendum primo momento, ita vi essentiae quodvis pariter indifferens est ad eam habendam momentis subsequentibus, ita ut semper essentialiter continenter existat, neque ulla repugnantia sequatur, si existentiam non continuet; ergo existentiae continuatio enti creato non competit vi essentiae. 2 *Neque in attributis* hæc ratio continuatæ existentiae continetur; attributa enim ab essentia dimanant; ergo cum hæc ratio sufficiens in essentia non contineatur, neque in attributis contineri potest. 3 *Neque in modis* sita est hæc ratio continuatæ existentiae; non in modis, qui ab arbitrio pendent; horum enim modorum ratio ultima in ente externo a re modificata distincto, et ultimatim in causa prima existentiae ac statu rerum determinati continetur. 4 Sed *neque* ratio continuatæ existentiae entis contingentis continetur *in existentia præcedenti*; quia nulla est inter hæc duo necessaria connexio, multoque minus connexio causalitatis; ergo ratio continuatæ existentiae rerum in rebus ipsis non continetur; ergo in alio ente ab ipsis distincto; et quoniam progressus in infinitum repugnat, in solo Deo continetur. Quare ajebat S. Pater: *Si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt* (1).

3.<sup>o</sup> Præterea, Deus existentiam alicujus entis decernendo, vel eam decernit pro semper, vel pro aliquo tempore determinato, vel ab iis abstrahit. Si 1.<sup>m</sup>; ergo vi hujus decreti illud ens semper in sua existentia perseverabit, ac proinde vi actionis Divinæ sese extendentis ad hanc existentiam pro semper; nam apud Deum velle et facere sunt quid unum et idem. Si 2.<sup>m</sup>; ergo

---

(1) *De Civ. Dei, Lib. 12. c. 25.*

vi talis decreti, pro tali tempore determinato existet talis creatura, sed non ultra; alioquin pergeret existendo sublato omni ejus existentiae fundamento, et absque Dei voluntate, quod repugnat; ergo elapso illo statuto tempore desineret existere, non quia per positivam actionem Deus efficit ut hæc creatura non existat, sed quia desinit influxus quo illam existere voluit; ergo ens creatum ideo pergit existendo, quia divino influxu in suo esse perenniter conservatur. Si 3.<sup>m</sup>; absurdum est; nam a Deo omnia simul unico intuitu vidente omnis exulat abstractio. Ergo Deus res omnes creatas positive et directe conservat.

4.<sup>o</sup> *Ex supremo Dei dominio in res omnes*; Dei enim dominium utpotè supremum et ilimitatum, exigit ut nulla res creata sine positiva Dei voluntate actu existat; atqui si supponimus aliquod ens actu existere sine Dei positivo influxu, hoc ipso illo actu a Deo erit independens; quod repugnat.

5.<sup>o</sup> Denique, si creaturæ sua virtute in existentia permanerent, in nihilum non nisi per positivam Dei actionem redigi possent, ex quo sequeretur, ut effectus positivæ actionis Dei sit nihilum, quo quidem nihil absurdius dici potest; Deus annihilandi potestatem non haberet, ipse qui omnia creavit.

Concludamus igitur cum Catechismo Concilii tridentini: «Quemadmodum omnia ut essent Creatoris summa potestate effectum est; ita etiam nisi conditis rebus perpetua Ejus Providentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constituta sunt, servaret, statim ad nihilum reciderent; atque id Scriptura declarat cum inquit: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi Tu voluisses?*» (1).

---

(1) Pars. I. n. 24.



COROLLARIA. — DISPUTATIO II.

150. I. Conservatio ex parte Dei non est actio à creatione diversa, sed est unus idemque actus voluntatis Dei omnipotentissimæ, qui efficit ut creatura existat non solum primo instanti, sed etiam aliis subsequen-  
tibus.

II. Creatio et conservatio ex parte rei creatæ in hoc tantum differunt, quod per creationem connotatur res secundum illud instans quo ex non existente fit exis-  
tens, et per conservationem connotatur res secundum illa instantia quæ sequuntur primævam existentiam.

III. Conservatio dicitur continuata creatio, quatenus, scilicet, actio Dei conservantis non minus influit esse in res contingentēs, quam actio Dei creantis: eandem quippe est actio ex parte Dei, et cessante conservatione res creatæ in nihilum redigerentur.

IV. Denique, Solus Deus annihilare potest substan-  
tiam aliquam; si enim annihilatio est cessatio conser-  
vationis, et conservatio continuata creatio, profecto ille solus annihilandi potestatem habet, qui creandi virtutem possidens, omnis existentiae fons est.

*Dices.* Opus humanum arte factum, ut perseveret in suo statu actione artificis non eget; ergo neque opera summi artificis indigent, ut ab ipso continua actione con-  
serventur.

*Resp. Nego paritatem;* actio enim creaturæ seu arti-  
ficis creati solummodo inducit in rebus aliquem no-  
vum modum essendi, qui sustentatur ab esse rei; Deus autem dat ipsum esse simpliciter quod a nullo sustentari potest, ut ex prima probatione patet (Vid. S. Thom.,  
*sum. Th. 1. P. Q. 104 a. 1.*) Creaturæ sunt tantum causæ  
*secundum fieri*, Deus est etiam *secundum esse*.

DISPUTATIO 11.<sup>a</sup>—DE CONCURSU DEI IN RERUM ACTIONES.

151. Illa Dei actio, quâ influit in creaturarum actiones, appellatur *concursum*, quo nomine generatim intelligitur auxilium quod una causa præbet alteri ad agendum: Auxilium autem duplex distinguitur, *naturale* seu *temporaneum*, et *supernaturale* seu *æternum*.

*Supernaturale* illud est, quod influit in actiones quibus æternam vitam promeremur, aut quæ ad eam spectant. Dicitur *supernaturale*, tum quia finis ejus est supernaturalis, tum etiam quia non conceditur juxta naturæ leges, sed pro Creatoris arbitrio, et à *Mediatoris* Jesu Christi meritis pendet. Hoc auxilii genus vocatur *gratia*, de qua disserere Theologorum est.

*Naturale* auxilium illud est, quod conceditur ad faciendas ordinis naturalis actiones, quæ à Philosophis spectantur in se, et sine ullo respectu ad vitam æternam; quamvis reverâ, et juxta doctrinam Catholicam, omnes ad Deum, tanquam finem ultimum referendæ sunt. Dicitur *naturale*, tum quia illud natura rerum contingentium exigit, tum quia confertur omnibus juxta naturales leges et ordinarias.

Præfactum utrumque auxilium potest esse *internum*, vel *externum*. Externum est quod extra rem operantem positum est. Internum vero ipsum agens penetrat, illustrat, excitat, movet, hic est quod proprie *concursum* vocatur. Concurrense enim ad actionem alterius dicitur ille, cujus actus aliquam rationem continet, cur alterum ens agat.

Potest tamen lato sensu dividi internus concursus in *physicum* et *morale*. Moralis est incitatio quædam ad aliquid agendum, ei similis quâ movere et impellere sese mutuo homines solent, v. gr. suadendo, jubendo, minitando etc., vocatur etiam *generalis*. Physicus est

si concurrens coagit, et efficienter influit per modum agentis in effectum; vocatur etiam *specialis*.

Hic concursus *physicus et naturalis*, de quo agimus, definitur: *Cooperatio Dei cum causis secundis*; seu: *Divinæ virtutis in agentis finiti actiones influxus*; et expressius: *Actus divinæ voluntatis efficienter influens in creaturarum actiones, quæ ad ordinem naturalem spectant*.

Hic porro concursus *mediatus* est, vel *immediatus*. *Mediatus* est largitio et conservatio virtutis et potentiae, quibus agens agit, quo sensu certissimum est apud omnes, qui creationem admittunt, Deum cum omnibus agentibus concurrere; ipsis enim dedit vires, quibus agunt in eisque eas servat.

*Immediatus* est in eo, quod Deus, ut causa prima, cum ipsa creatura operante, ut causa secunda, operetur, atque actu in eundem effectum influat ac cum ipsa producat, ita ut esse effectus, cum sit indivisibilis, utrique ex toto tribuatur; diversa tamen ratione: Deo enim tribuitur ut *causæ primæ et independenti*, creaturæ vero ut *causæ secundæ et dependenti*: unicuique igitur in suo modo causandi. Hic concursus vocari etiam solet *simultaneus*.

Si apud omnes in comperto est, concursum Dei mediatum absolute necessarium esse creaturis ad omnes actus eliciendos, non ita unanimiter adstruitur concursus immediatus (1).

Ex dictis vero in præcedenti Disputatione de conservatione jam infertur necessitas immediati concursus, deprompta ex eo quod nequeat realitas ulla finita exstare aut gigni, nisi Deus, ut prima omnis esse causa, affirmate et efficienter in eam influat; idcirco sit

---

(1) Post nonnullos veteres, quos referet S. P. Aug., *De Genes. ad litt.*, Lib. 5. c. 20 n. 40, abiit Durandus.

152. PROPOSITIO. *Immediato Dei concursu indigent creature ad singulos suos actus.*

*Demonst.* 1.<sup>o</sup> Omnia quæ sunt, et a Deo sunt, ut prima et universalissima causa omnis esse, et a Deo immediate conservantur; atqui quæcumque operatio et esse suum habet, et res operans tum maxime est, cum vires exercet; ergo non tantum has vires Deus conservat, sed ad earum exercitium præcipue concurrit.

2.<sup>o</sup> Deinde, ratione ipsius effectûs; etenim quidquid habet rationem entis, Deum habet immediatum auctorem, quia Deus est primum ens absolutissimum qui omnibus dat esse simpliciter; atqui quilibet effectus habet rationem entis; ergo a Deo immediate dependeat necesse est.

3.<sup>o</sup> Ulterius, si ens quodcumque creatum sine Dei immediato concursu agit et effectum aliquem progignit, hic effectus et in suo esse simpliciter inchoatur et in eo permanet independenter a Deo; quod quidem absurdum est dicere.

4.<sup>o</sup> Modus essendi sequitur esse; ergo sicut esse indifferens creaturarum determinatur ad existendum per immediatum Dei influxum, et per eundem conservatur; ita earum operationes proficiscuntur ab immediato Dei influxu physice concurrente in earumdem esse.

5.<sup>o</sup> Ex supremo Dei dominio in causas secundas (1) et in omnia quæ entis rationem habent, hoc ipsum demonstratur; maxime quia res, dum agunt, per hujusmodi activitatis exercitium perficiuntur; atqui absurdum et impium est admittere, res meliores evadere posse, ac se ipsas perficere, sine Dei immediato influxu.

6.<sup>o</sup> Denique, ratio dictat grates Deo esse persolvendas, quando fiunt bonæ actiones, vel malæ vitantur; atqui si

---

(1) «Magis habet (Deus) in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas» S. P. Aug., *De corrept. et grat.*, cap. 14.»

concursus Dei non esset immediatus, nullas teneremur Deo grates rependere; quia non magis contulisset ad bonum, quam ad malum faciendum, et omnis actio bona a sola determinatione nostra libera dependeret; ergo etc.

Aliud quoque argumentum desumitur ex divina Providentia, qua Deus singula quaecumque entia ad fines proprios et ad finem universalem dirigit; hinc preces ad Deum omnes aliquando dirigimus, ut mala avertat, bona largiatur, et ut protervos ad sanam mentem et rectam viam reducat. Patet igitur quod proposuimus.

153. *Nota.* Immediatus hic Dei concursus sic censemus esse intelligendus: Deus infinita sua virtute immediate influit in vim operativam agentium finitorum conferens ipsis virtutem et efficaciam immediatam inter agendum secundum naturam uniuscujusque agentis; quapropter Dei influxus et virtutis largitio non solum non lædit naturalem agentis virtutem, sed ipsam conservat, constituit, sustentat, perficit, et ad effectum producendum uno eodemque instanti cooperatur. Utrum vocari debeat *præmotio physica*, an vero *simultanea*, quæstio nominalis est et indefinita.

*Solvuntur difficultates.*

154. *Obj. I.* Concursus Dei immediatus tollit libertatem humanam. In hac enim sententia creaturæ indigent concursu divino ad agendum; atqui hunc concursum in sua potestate non habent; ergo neque in sua potestate habent agere vel non agere; agere hoc vel illud.

*Resp. 1.º* De hac difficultate pro rei gravitate agere potius ad Theologiam sacram pertinet; ibi inveniatis tria præcipua systemata, quorum utrumque pariter falsum esse potest, quod sit verum Deus scit. Certissimum est Deum positive et efficaciter in actus nostros influere; non minus certum est, nos vera libertate gaudere, ut in Dynamilogia

speciali demonstravimus, in iis omnes conveniunt, et has veritates firmiter tenemus, de naturali illarum connexionem parum solliciti.

*Resp.* tamen 2.<sup>o</sup> *Nego ant., ad prob. dist. min.* Hunc concursum in sua potestate creatura non habet, non supposita divina Providentia de singulis, vel Dei decreto ad concurrendum, *conc. min.*; secus, *nego min.*

Deus ab æterno præscivit, præparavit et decrevit suum concursum conferre omnibus agentibus, non ejusdem naturæ et eodem modo, sed modo cujusque naturæ accommodato; ideo eundem concursum diverso modo præparat et offert causis ex necessitate agentibus, ac causis cum arbitrii indifferentia operantibus; itaque divinus concursus non solum non lædit libertatem, sed ipsam jubat ac integrat; si Deus creaturis liberis concursum suum dare non decrevisset, creaturæ non essent liberæ; quia deesset aliquid quod ad actum secundum ponendum requireretur; semel dato concursu creaturæ agent, non necessario, sed infallibiliter ac liberrime. Ita relinquimus hanc quæstionem, de qua ingenti compositi sunt libri, qui nunc in pulvere dormiunt.

*Obj. II.* Si ad omnem actionem Deus concurrit, etiam ad actiones malas concurrat necesse est; atqui hoc repugnat Sanctitati Dei; quia esset auctor peccati; ergo etc.

*Resp. Dist. maj.* Ad omnes actiones concurrat necesse est, nempe prout sunt actiones seu entitatem habent, *conc. maj.*; ad actiones, id est, ad malitiam moralem seu ad deficientiam actionis a regula morum, *nego maj.* Peccatum est pura negatio conformitatis seu rectitudinis ad regulam. Actus igitur humani spectari possunt et *materialiter*, ut sunt aliquid physicum et physice bonum, et *formaliter*, ut privationem continent conformitatis ad morum regulam, in qua privatione malitia moralis sita est; Deus igitur cum suum concursum voluntati offert, ita illud offert, ut ad actum quoad physi-



cam suam entitatem physice et immediate concurrat, atque etiam moralem ejusdem bonitatem, quantum in ipso est, intendat; malitiam vero ejus, cum sit pura defectio, tantummodo permittit, quatenus cum posset illam impedire vel subtrahendo cooperationem suam ad actum, vel voluntatem muniendo efficaciter nec deficiat, ad hoc autem nullo pacto tenetur; ad actum vero, ut est *formaliter* malus, nullo modo concurrat, sed potius illum reprobatur ac damnat. Malitia igitur tota est humanæ voluntatis, nullo pacto Deo tribui potest: «Malum non est ens, inquit Bossuet, sed defectus.... consequenter causam efficientem non habet (O. 133), ac provenire tantum potest a causa creata, quæ sit capax deficiendi (1).»

*Obj.* III. Creaturæ habent potentiam agendi completam; ergo non indigent concursu divino ad agendum:

*Resp. Dist. ant.* Habent potentiam completam in actu primo, *conc.*; in actu secundo, *nego*. Qui habet completam potentiam agendi in actu primo nondum ponit actionem; ac proinde non exigit neque exigere potest concursum, sed tantum conservationem, siquidem concursus respicit actum secundum. Sed ut potentia ista ad actum secundum transire intelligatur, necesse est, ut supponamus Deum concurrere ob allatas rationes.

*Inst.* Si effectus proprios causarum secundarum Deus operatur, profecto sufficienter operatur. Non potest Deus

---

(1) *Tract. de libero arbit.*, c. 3. «Effectus causæ secundæ deficientis, inquit S. Thomas, I. P. Q. 49. a. 2. ad. 2., reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id quod habet entitatis, et perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de defectu: sicut quidquid est motus in claudicatione, causatur a virtute motiva; sed quod est obliquitatis in ea, non ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris. Et similiter quidquid est entitatis, et actionis in actione mala reducitur in Deum sicut in causam, sed quod est ibi defectus, non causatur a Deo, sed ex causa secunda deficiente.»

insufficienter operari. Ergo ad eundem effectum producendum frustra causæ secundæ adhibentur.

*Resp. Dist. ant.* Deus sufficienter operatur ad modum causæ primæ, *conc.*; ad modum causæ unicæ, *subdist.*, quando causas secundas non adhibet, *conc.*; quando adhibet, *nego.* (Vid. Ontolog., n. 265, pag. 156.)

*Inst.* Cum una actio non possit poni a duabus causis immediatis, Deus non potest ponere actionem quam ponit creatura; aliunde essent utraque causa partialis; atqui hoc de Deo dici nequit; ergo etc.

*Resp. Dist. 1.<sup>m</sup> ant.*, non potest poni a duabus causis immediatis sibi non subordinatis, *conc. ant.*; sibi subordinatis, *nego.*

Ad 2.<sup>m</sup> *dist.* Utraque esset partialis, si utraque constituit unam causam finitam, *conc.*; cum altera est finita, altera vero infinita, *subdist.*, utraque est causa partialis ex parte effectûs, *nego*; ex parte causæ, iterum *subdist.*, spectata integra causalitate necessaria ad opus agentis finiti, *trans.*; spectata unaquaque causa in suo ordine, *nego.* *Contradist. min.*

Effectus, cui producendo actio Dei et actio creaturæ cooperantur, non partim a Deo manat, et partim a creatura, sed totus est Deo adscribendus, et totus creaturæ, diversimode tamen: a Deo enim est ut causa prima et independenti; a creatura ut causa secunda ac dependenti. Sic utraque causa totalis est, in suo videlicet modo causandi totum effectum. Quod si integra causalitas ad effectum necessaria consideretur, nihil vetat, quominus, ut quidam loqui amant, et Deus et creatura ad eundem effectum partialiter concurrere dicantur (1).

---

(1) Ita Salv. Tong., l. c.

DISPUTATIO 12.<sup>a</sup>—DE DIVINA PROVIDENTIA.

155. Providentia est: *Ratio ordinis rerum in finem per media vel naturalia vel supernaturalia, prout est finis*; et dicitur Providentia naturalis, vel supernaturalis. Nos loquimur de Providentia naturali; quam definire possumus cum S. Thoma: *ratio ordinis rerum in finem in Deo existens* (1); vel cum Seneca: *aeterna ars cuncta temperantis Dei* (2). Providentia pertinet tum ad intellectum, qui res ad fines ipsarum proprios, per opportuna media assequendos, disponit (3), tum ad voluntatem, quæ conceptum mente ordinem approbat, illumque adhibere decernit, et ad omnipotentiam quæ illum exsequitur (4).

Jam supra (Cosmolog., *Disp.* 7.<sup>a</sup> n. 144. seq.) demonstratum est, Deum omnia quæ sunt, ad ultimum finem condidisse, qui est ejus gloria: ad hunc autem finem, pro suæ naturæ diversitate singula conspirare. Quare licet sit unus finis ultimus omnibus communis, rerum tamen singularum fines partiales et illi subordinati plures sunt et diversi. Dei igitur Providentia in hoc est, ut unamquamque rem, mediis opportunis adhibitis, ad finem suum partialem assequendum dirigat, ut finem ultimum, quem Deus *efficaciter et absolute* vult, constanter omnia obtineant.

---

(1) *Sum. Th.*, 1. P. Q. 22. a 1.

(2) *Epist.* 71.

(3) Sic, in intellectu considerata Divina Providentia, definiri potest cum Boëtio (*De consol.*, lib. 4., Pros. 6) «*Ipsa divina ratio in Summo Principe constituta, quæ cuncta disponit.*»

(4) Sic, prout executionem respicit, definiri potest cum Nemesio: «*Dei Voluntas, per quam omnia, quæ sunt, apte gubernantur.*» *De Natura hominis*, c. 43.

156. Idcirco Providentia naturalis distingui solet in *generalem* et *specialem*. *Generalis* est, quâ tota rerum universitas administratur secundum leges generales, et ad finem universalem et ultimum dirigitur. *Specialis* est, quâ res singulæ seorsim diriguntur ad suos fines proximos et immediatos.

Ut de re tanti momenti ordine debito disseramus: 1.º de exsistentia divinæ Providentiæ agemus: 2.º de ejus extensione: 3.º de mali origine sub sapientissima optimaque Providentia.

### §. I.

157. Providentiam negarunt olim Epicurei et Stoici; negant hodiedum Deistæ plurimi, qui supremum judicem scelerum vindicem agnoscere reformidant, ne hac importuna cogitatione inter peccandum turbentur; dicunt enim cum Vellejo Epicureo: «Quis non timeat »omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, »et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum? (1).» Contra quos sit

158. PROPOSITIO. *Deus summâ Providentiâ res omnes creatas regit et administrat.*

*Demonst. 1.º a priori.* Ille res omnes summâ Providentiâ regit et administrat, qui omnia ad finem universalem, et singula ad fines speciales vere dirigit; atqui sic regit et administrat Deus res omnes; ergo etc.

*Demonst. min.* Et I. Quidem omnia ad finem universalem dirigit; omnia enim ad finem universalem creavit et conservat, nempe ad gloriam suam extrinse-

---

(1) Apud Tullium, *De nat. Deor.*, lib. 1. His præiverant illi, qui Jobo obloquebantur: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat.* Job, 22—v. 14.

cam (1); ergo etiam nunc omnia ad eundem finem dirigit, quem profecto absolute et efficaciter vult; qui vero ita finem vult, media quoque idonea velit necesse est; alioquin dicendum foret, vel Deum non posse hunc finem amplius intendere, vel finem istum obtineri posse absque vera Dei directione et independenter ab Eo. Atqui utrumque repugnat: prius quidem; nam ex dictis mundus indiget conservatione positiva ex parte Dei; atqui Deus non potest magis mundum conservare sine fine, quam creare; ergo etc.: posterius etiam; nam nihil est entis, nihil est perfectionis, nihil actionis, quod in Deo non contineatur et a Deo non dependeat et in essendo et in operando; ergo sine Deo nihil potest tendere ad prædictum finem. 2.<sup>o</sup> *Singula ad fines speciales dirigit*; singula enim entia hujus mundi, juxta propriam cujusque naturam, speciales habent fines per quos obtinetur finis ultimus; ergo Deus debet ea constanter dirigere ad istos fines; quia ex una parte sine istis finibus specialibus non potest obtineri finis ultimus, et ex altera parte, entia creata non possunt agere sine Dei concursu, et sic tendere ad finem suum; ergo etc.

Deinde si res omnes creatas suâ Providentiâ non regit Deus, vel est quia nescit: vel quia non potest: vel quia non vult: atqui non *primum*; est enim Deus sapientia ipsa infinita, perfectissime cognoscit fines omnes et aptiora media: non *secundum*; etenim est omnipotens, qui creavit mundum ex nihilo nonne poterit gubernare? non *tertium*;

---

(1) «Quicumque facit aliquid propter finem (inquit S. Thomas, *Sum. Cont. Gent. lib. 3. c. 64.*) utitur illo ad finem. Ostensum est autem quod omnia, quæ habent esse quocumque modo, sunt effectus Dei, et quod Deus omnia facit propter finem, qui est Ipse. Ipse igitur utitur omnibus, dirigendo ea ad finem. Hoc autem est gubernare. Est igitur Deus per suam Providentiam omnium gubernator.»

si enim mundum liberrime creavit et ad finem ordinavit, non potest non velle media ad hunc finem assequendum: eritne Deo indignum sua opera curare? si vero ipsum non dedecuit creare, et ordinare, minus dedecet, imo positive Deum dedeceret res ab ipso creatas non curare. *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse?* (1). Ergo cum Deus res quaslibet creavit, illis etiam providere debet.

159. *Demonst. II. a posteriori.* 1.<sup>o</sup> Ex consideratione ordinis physici. In orbe universo mirabilis ordo relucet in constantia legum, quibus reguntur omnia corpora: ex causis contingentibus effectus uniformes constanti ratione proveniunt, cujusmodi sunt siderum conversiones, quatuor anni tempestates sibi invicem succedentes, dierum et noctium vicissitudines, corporum viventium generatio, in plantis et animalibus organica dispositio, earundem specierum propagatio inter tam diversam elementorum combinationem; nulla individua in notis individualibus perfecte conveniunt, et mirabilem prorsus ac stupendam diversitatem una cum similitudine servant etc. etc. Jam vero cum nulla sit connexio essentialis inter virtutem causarum contingentium et effectus constantes ab ipsis provenientes, debet tanti ordinis conservationi præesse Ens summe intelligens, omniaque virtute sua potentissima moderans, et sicuti exsistentia entis contingentis postulat exsistentiam necessarii, ita etiam contingentis dispositio ad fines tam mirabiles postulat directionem entis summe Providentis (2).

---

(1) S. Ambrosius, *de offic.*, lib. 1. c. 13. n. 48.

(2) «Ipse ordo certus rerum manifeste demonstrat gubernationem mundi; sicut siquis intraret domum bene ordinatam, ex ipsa domus ordinatione ordinatoris rationem perpenderet.» S. Thomas, *sum. th.* 1. P. Q. 103. a 1.



2.° Ex consideratione ordinis moralis. Quid est enim, nisi Providentia divina, quod nos certos reddit de permanenti subsistentia socialis vitæ et de stabilitate legum moralium? Nonne homo vel maxime probus potest fieri maxime impius in uno instanti? Unde igitur constabit, hanc perversionem morum crastina die non futuram esse universalem? Quo prodigio tot inter rerum opinionumque varietates, humano ubique generi, virtus honori et scelus horrore est, nisi Deus quasi indesinenter imprimat cordibus hominum universalem et immutabilem legem moralem, ejus obligationem manifestet, ejusque executionem urgeat? Quomodo explicabitur illa magna et constans expiationis lex, juxta quam magna populorum et societatum scelera maximis pœnis et subversione nonnunquam puniuntur? (1)

*Confirm.* 1.° Ex consensu omniū populorum sapientiumque Philosophorum, qui Providentiam divinam unanimiter admiserunt: 2.° ex absurdis quæ, sublatâ Providentiâ, sequerentur: Deus sine Providentia non erit amplius Deus noster, ejus existentia nobis erit indifferens, nullum fere remanebit motivum Ipsi obsequium exhibendi; genus tamen humanum orat, supplicum preces ad Deum ascendunt, Ipseque nostra curat, vel inviti desperent impii: 3.° ex provida administratione Ecclesiæ veræ Apostolicæ, Romanæ, etc. Stat ergo Propositio.

---

*Obj.* Providentia nihil est aliud, quam «*æterna fati* lex, et indeclinabilis *fati* series et catena semetipsam volvens, seseque implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est.» Ita Crisippus apud

(1) Hodiedum videmus hoc et oculis contemplamur.

Aulum Gelium (1) et hodierni Pantheistæ; ergo Deus nullam de rebus habet Providentiam.

*Resp. Nego* tam absurdum et ridiculum paradoxon rationi, sensui naturæ communi et apertissimæ experientiæ contrarium.

## §. II.

160. Deus pro sua infinita Sapientia, Bonitate ac Potentia ita de omnibus Providentiam habet, ut de unaquaque creatura singulariter habeat, præsertim de intellectualibus; unde sint

161. PROPOSITIO I. *Dei Providentia sese porrigit ad singulares res, etiam minimas ac vilissimas.*

Etenim *primo*, cum Deus semper agat propter finem, quidquid agit in suum finem etiam dirigit; igitur tantum patet ejus Providentia, quantum patet ejus efficientia; eoque modo res attingit providentia, quo efficientia. Atqui Dei efficientia ad omnia et singula, quæ *esse* participant, etiamsi vilissima sint, sese porrigit; omnia enim quæ sunt Deus creavit ac conservat, omnibusque cooperatur: neque genera aut species efficit, quæ sunt mentis abstractiones, sed individua. Ergo de singulis rebus etsi vilissimis Providentiam habet (2).

---

(1) *Noctes atticæ, lib. 6. c. 2.*

(2) «Audiatur S. P. Augustinus: «Quæcumque naturaliter facta sunt, ait, quæcumque sunt in creaturis, omnia omnino, quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, et quæ moventur in universa natura rerum, omnis omnino creatura, per Verbum facta sunt, sine quo factum est nihil, (id est, nihil, nulla res facta est): dicam planius, dicam, Frates, ut intelligatis, ab Angelo usque ad vermiculum. Quid præclarius Angelo in creaturis? Quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus est Angelus, per ipsum factus est et vermiculus: sed Ange-

*Secundo.* Quænam ex causa Deo gubernatio et administratio harum rerum deneganda est? Num quod res Eum lateant? At quomodo eas creasset, nisi cognovisset? Ejus infinita Scientia omnia et singula clarissime perspicit. An quia non potest, aut providendo fatigatur? Nihil minus profecto; Deus enim est infinite Omnipotens, atque simplici voluntatis nutu omnia peragit. Neque dici potest nolle Eum res governare; aut res creatas incapaces esse gubernationis; nam Dei voluntas est omnis boni causa, et est ipsa bonitas; bonum autem eorum, quæ gubernantur, in ordine gubernationis maxime consistit. Non sunt autem res creatæ incapaces gubernationis; reipsa enim ordinantur ad invicem, et omnes ad unum finem, earumque multæ gubernantur etiam humanæ rationis industriâ (1). An erit quia Deum dedecet? At Deum non potest dedecere ea, quæ nobis minima sunt ac vilissima, gubernare, sicut non dedecuit creare, nec dedecet conservare. «Nulla igitur, concludimus cum Eusebio (2), mundi particula Dei Providentiam affugit.»

162. *Notandum est:* 1.º Inter Divinam porro humanamque Providentiam hoc interest discriminis, quod homines, cum immediate omnibus sibi subjectis prospicere nequeant, administris utuntur, qui particularium curam gerant, tam ordinando singula ad finem, idoneaque media eligendo, quam intentum ordinem exsequendo. Deus

»lus dignus cœlo, vermiculus terrâ. Qui creavit, ipse disposuit.  
»Si poneret vermiculum in cœlo, reprehenderes; si vellet Angelos  
»nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes.... Universa creatura per Verbum facta est..... cui dicitur, omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.» *Tract. in Joan. Evang. c. 1., tract. 1., n. 13.*

(1) Vid S. Thom. Sum. Cont. Gent., lib. 2. c. 75.

(2) De preparat. evang., lib. 12. c. 28.

autem, quem nihil impedire potest quominus de singulis per se cogitet, singulis per se prospicit, finem statuens mediaque præparans: in exsecutione tamen non omnibus immediate providet, id est, non per se solum media exsequitur, sed quasdam res per alias gubernare solet, ut filius per parentes, ac civitates per earum rectores, «non sane per defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis communicet (1)», ut paternæ quoque suæ bonitatis vistigium aliquod et imago in rerum universitate fulgeat.

*Not. 2.º* Sive Deus provideat immediate, sive mediate, finem ultimum et generalem, nempe gloriam suam, semper assequitur; hunc enim absolute et efficaciter vult; at non semper, quod sedulo notandum est, assequitur fines particulares, quia non omnes, sed aliquos tantum absolute et efficaciter vult, alios vero intendit solummodo conditionate. Declinatio autem a fine conditionate voluto est medium sapienter ordinatum ad finem ultimum et generalem efficaciter intentum, et ad ejus assecutionem efficaciter perducit; unde ejusmodi declinatio commendat ipsam Sapientiam et Providentiam Dei (2).

163. *Observandum est:* singulas res diversimode gubernari a Deo, secundum earum diversitatem. Hinc creaturæ rationales, cum sint per se agentes, tamquam habentes dominium sui actûs, peculiari quodam modo a Deo gubernantur, nempe «non solum per hoc quod moventur ab ipso Deo in eis interius operante, sed etiam per hoc quod ab Eo inducuntur ad bonum, et retrahuntur a malo per præcepta, et prohibitiones, præmia, et poenas. Hoc autem modo non gubernantur a Deo creaturæ irrationales, quæ

(1) Cons. S. Thom., 1. P. Q. 22. a. 3.

(2) Id., ib., art. 2. ad. 2.

tantum aguntur, et non agunt (1).» De intellectualibus autem sit

164. PROPOSITIO II. *Speciali Providentiâ intellectualis creaturæ a Deo gubernantur.*

Etenim 1.<sup>o</sup> hæ sunt, in quibus, et per quas finis creationis ultimato obtinetur. Sola enim rationalis creatura actibus suis ad finem Universi pertingit, et gloriam Deo vere tribuit, Ipsum agnoscendo et amando. Unde est, quod cætera, quæ in mundo sunt, propter ipsam facta sunt, ipsa autem immediate propter Deum. Si ergo Deus res omnes provide gubernat, multo magis rationalem creaturam.

2.<sup>o</sup> Eoque magis, quod rationalis solummodo natura in finis sui assecutione felix esse potest, ex ejusque amissione misserrima sit oportet; cum cætera nec finem agnoscant, nec eo perfruantur obtento, nec doleant amisso. Quare cum Deus, si rebus insensatis non provide-  
ret, insipienter agere dicendus esset, non insipientem modo, sed crudelem se exhiberet, si homo ex mediorum defectu, et ex sui Conditoris incuria, finem suum aliquando non obtineret.

3.<sup>o</sup> Prætermis-  
sis pluribus, quæ ex hominis individui consideratione, et ex humani generis Historia huc afferri possunt, notabo solum luculentissima quædam Providentiæ indicia, quæ in humana societate continenter emicant.

a) Vita socialis consistere non posset, si omnes homines essent mendaces, proditores, laboris et injuriæ impatientes, nullisque legibus subjici vellent. Ex altera parte singuli humines possunt ita perverti; iique ipsi, qui semper probi fuerunt et habiti sunt, possunt intra breve tempus improbi fieri. Unde ergo factum est, ut nunquam generalis hæc morum perversio acciderit?

---

(1) S. Thom., 1. P. Q. 103. a. 5 ad 2. (1)

b) Varietas vultûs ac vocis propemodum infinita, insigne est Providentiæ in societatem argumentum. Fac enim omnes in omnibus perfecte similes esse, quanta exinde perturbatio consequeretur?

c) Ad societatem conservandam necessaria quoque est ingeniorum et propensionum varietas, ut omnibus ejus necessitatibus sâsatisfiat. Hæc autem varietas semper servatur.

d) Diversitas denique graduum, et inæqualis bonorum distributio, et proportionata in unaquaque specie sexuum varietas requirebatur in primis, ut societas permanere, vel ad aliquod tempus, posset. Ita autem sunt omnia disposita, ita connexa sunt et interna adjuncta et externa, ut hæc graduum diversitas, honorumque inæqualis distributio, et cæterarum conditionum constanter maneat.

4.º Accedat ultimo ad hæc omnia humani generis constans consensio.

a) Hæc se manifestat, cum aliqua calamitate, injuriâ, periculo etc. homines premuntur, aut repentino terrore percelluntur. Tum enim oculos, manus, vocem in cœlum attollunt, et Numen sponte invocant.

b) Hanc testantur jurisjurandi religio, sacrificia ac vota, quæ omnibus populis usitata semper fuere, ad bona consequenda, ad avertenda mala, et gratias agendas.

c) Imo cultus religiosus universus, et timor divinæ potestatis in hac maxime persuasionem fundamentum habent.

d) Ipsæ impiorum blasphemiæ eandem persuasionem manifestant. Cûr enim in Deum irascuntur scelesti, nisi quia certo tenent, ipsius nutu omnia regi?

5.º Vel ipsi gentiles hoc fatentur «Mundus administratur providentiâ deorum; iidemque consulunt rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis (1).» «Ne quis

---

(1) Cicer., de Divinat. lib. 1., n. 117.



putet se lucrari quicquam, si non habebit aliquem consocium delicti sui. Nam ille, in cujus conspectu vivimus, scit omnia. Patemur Deo; approbemus nos ei (1)». «Deum qui putat esse, et nihil ab eo curari, nihil differt ab eo, qui non credit esse Deum (2)». «Deus viventium sempiternus, gubernator est, ipsiusque vitæ dispensator æternus (3)». Infinita res foret testimonia Philosophorum gentilium super hac re in medium afferre. Concludam cum Hugone Cardinali «Providentiæ Dei cura est specialis omnium, specialior fidelium, specialissima sanctorum (4). «Nec responsionem, sed pœnam meretur is, qui demonstrari sibi petit esse Providentiam (5)».

165. Ex hactenus dictis hæc colliguntur.

I. Unaquæque res et ad peculiarem aliquem finem ordinata est, et mediis instructa ad ipsum assequendum, etiamsi vel fines, vel media non appareant.

II. Finem peculiarem et proximum potest creatura aliquando non assequi, et hoc ipsum erit medium ad finem ultimum assequendum.

III. Nullus est respectu Dei eventus fortuitus, non modo quia omnia ipse prævidit, sed etiam quia omnia sub ordine Providentiæ ejus continentur.

IV. Homo quilibet in promptu habet media omnia, quæ ipsius conditio et adjuncta postulant, ut honeste sancteque vivere possit, et per hoc felicitatem in futuro assequi. Hic est enim hominis finis ultimus conditionaliter obtinendus.

V. Mala physica, quæ in mundo sunt, cum finis ra-

---

(1) Seneca, *apud Lactant.*, VI. 24.

(2) Sixtus Philosoph., *Sent.* 366.

(3) Trismeg., *Asclepius*, c. 9.

(4) Super I. *Corint.*, IX.

(5) Clem. Alex., *Stromatum lib.* 5. Cons. super hac re Com. De Maistre, *Veladas de San Petersburgo*; Salvian. Massilie. episc., *De vero judicio et Providentia Dei*, lib. octo.

tionem non habeant, medii rationem habeant necesse est.

VI. Idem dicendum de malorum moralium permissione. Supremus provisor etiam malorum permissione, tanquam medio, utitur.

VII. Unde quidquid, sive boni, sive mali, in unoquoque homine accidit vel circa illum, quantum est ex parte Dei, medii idonei ad finem ultimum hominis semper rationem habet (1).

### § III.

166. Si ita est, dices, si omnia sub sapientissimo, benevolentissimo ac potentissimo Gubernatore jacent: quare tot mala in mundo videntur? Quare impii bonis affluunt, pii vero semper adversâ fortunâ premuntur? Ad hanc antiquissimam humanæ imbecillitatis et arrogantiae calumniam, terminis bene intellectis, facillima est responsio, *negando*, videlicet, quod tam generaliter asseritur, bonos nempe omnes miseros, impios autem felices esse; multa mala torquent, et crudeliter excruciant impios, ita ut dici possit, magis abundare veris bonis probos homines, quam impios, vel saltem bona et mala æqualiter distributa esse.

Paulo morosius respondeamus tamen.

167. MALUM triplicis generis distingui solet, ut dictum est (Ontol., *Disp.* 10.<sup>a</sup> n. 130), videlicet: 1.<sup>o</sup> *metaphysicum* seu naturæ inhærens, id est, imperfectio seu defectus ulterioris realitatis, omni enti creato essentialiter inhærens: 2.<sup>o</sup> *physicum* seu *pœnce*, id est, morbi, dolores, ignorantia, concupiscentia, labores, terrores, et cætera hujusmodi, quæ in ordine præsentī *ex peccato commisso* in hominem redundant: 3.<sup>o</sup> *morale* seu *culpæ*

---

(1) Quæ in hac *Prop.* dicta sunt, paucis exceptis, invenies apud Salv. Tongiorgi.

id est, peccatum, sive defectus a regula morum, cui se debet libere conformare voluntas creata; dicitur etiam subtractio seu privatio devitæ operationis, vel quia libere omittitur, vel quia debitum modum et ordinem non habet.

168. Jam vero quod attinet ad malum *metaphysicum* nulla lis moveri potest, cum essenziale sit omni creaturæ, ac propterea nec est, nec vocari debet malum.

Quod attinet vero ad malum *physicum*, cujus originem tribuunt Manichæi et Baylius principio malo, notandum est: hoc malum solummodo esse malum relativum, et Deum eo uti ad majora et vera bona, tum individui, tum præsertim universi, assequenda

Quod ad mala *moralia*, quæ vera mala sunt, quæque Deus damnat et reprobatur, et solum permittit, hæc originem debent libertati indifferentiæ, quæ homini essentialis et maximum in se bonum est.

Nunc jam præsupponendum est ut certum, sicut alibi demonstravimus: 1.º Illa duo Manichæorum principia, unum bonum, alterum malum, absurdissima, et ad finem inventa etiam inutilia esse. 2.º Deum in operibus ad extra non teneri ad optimum, sed prorsus liberum esse ad eligenda inter varia opera, quæ producere potest, magis vel minus perfecta. 3.º Hominem libertate indifferentiæ gaudere. His præjactis, sint

189. PROPOSITIO I. *Deus potest homini concedere libertatem ad bonum vel malum flexibilem.*

*Prob.* Deus potest hujusmodi libertatem concedere hominibus, si non tenetur hominem statim a creatione et ante omne meritum in summa felicitate ponere, et deinde si homo, extra felicitatem summam positus, necessario gaudet libertate ad bonum vel malum flexibili; atqui utrumque constat. 1.º Deus non tenetur, hominem statim a creatione et ante omne meritum in summa

felicitate ponere; tum quia status ille non est essentialis homini; tum quia Deus est liber in attributorum manifestatione, et in condendo mundo magis vel minus perfecto. 2.<sup>o</sup> Libertas ex essentia hominis consequitur, et dum versatur extra summam beatitudinem flexibilis est ad varios terminos eligendos. Homo enim extra summam beatitudinem positus in eo statu versatur, in quo essentialiter eam quærat per intellectum atque voluntatem; atqui tunc libertas necessario sequitur. Ea enim est essentia voluntatis, ut tendat necessario ad bonum infinitum, nec proinde quiescere possit in aliquo bono finito, quod eam exsatiare non potest; atqui inde fluit libertas. Quod enim non potest quiescere in ullo finito, nulla necessitate tendit ad unum potius, quam ad alterum, sed potest se ad quodlibet flectere, donec infinitum non attingerit; ergo libertas ad bonum vel malum flexibilis, sequitur ex naturali conditione hominis extra summam felicitatem positi; aliunde Deus non tenetur homini statim a creatione summæ felicitatis possessionem tribuere; ergo stat thesis.

Insuper, ut rationaliter dici possit, Deum teneri aut libertatem, aut peccabilitatem hominis impedire, deberet assignari titulus, quo Deus ad id teneretur; atqui nullus assignari potest titulus, quo Deus teneatur hominem aut libertate privare, aut impeccabilitate donare.

Non primum; tum quia libertas in se est maximum bonum et ad optimum finem conducens; tum quia est homini essentialis.

Non alterum; isti enim tituli ad impeccabilitatem homini donandam essent: vel divina Bonitas: vel Justitia: vel Sapientia: vel Sanctitas; atqui nihil horum dici potest.

1.<sup>o</sup> Dicit nequit, Deum teneri ex Bonitate. Bonitas enim Dei relate ad creaturâs, est indevitorum gratuita concessio; ergo Deus ad nihil tenetur ex Bonitate; etc.

nim eo ipso quod teneretur aliquid concedere, illud deberet; atqui tunc non ex Bonitate, sed ex Justitia teneretur; atqui

2.° Non ex Justitia, Justitia enim non postulat, ut concedatur id, quod est indebitum; atqui nullo modo impeccabilitas et determinatio immutabilis ad bonum, homini debetur; siquidem tum peccabilitas, tum libertas fluunt ex proprietatibus essentialibus *creaturæ intelligentis* et multimodis limitata, ut modo dictum est; ergo etc. Aliunde peccatum ipsum, quod Deus permittit, facit Deus ut cedat in sui gloriam, vel remittendo, ut eluceat Misericordia, vel puniendo ut eluceat Sanctitas et Justitia.

3.° Non ex Sapientia. Sapientia enim divina exigit, ut Deus nihil permittat nisi propter finem seipso dignum; atqui nemo rationabiliter dicere potest, Deum non habere finem seipso dignum permittendi peccatum; nam etsi non possimus fines et consilia Dei perscrutari, non ideo affirmandum est tales fines deesse; sed potius imbecillitatem et ignorantiam nostram agnoscere. Quis enim cognovit sensum Domini, aut consiliarius ejus fuit? «Melius enim judicavit Deus de malis bene facere, quam nulla mala esse permittere», ait S. Pater. Plures tamen assignari possunt fines permissionis peccati, videlicet, præstantiora justorum merita et præmia, ineffabilis Dei erga peccatores misericordia primo, deinde justitia, major creaturæ demissio et plenior recursus ad Deum solum, Bonum infinitum Incarnationis, sed aliæ multæ rationes nos latent; certum tamen semper est, peccatum ipsum in Dei gloriam ultimato cedere, et malos Deus permittit, vel ut corrigantur, vel ut boni exerceantur.

4.° Non ex Sanctitate. Nam Sanctitas Dei, quæ est amor ordinis essentialis, id est, sui ipsius, obstat ne Ipse lædat sua attributa per approbationem peccati; atqui permittendo peccatum, nullo modo approbat peccatum; nam licet non impediatur, prohibet tamen gravissime,



damnat, comminatur, dat omnia vitandi media, punit denique omne peccatum: ergo etc. Et sane permittere peccatum, hic non intelligitur idem ac indifferenter se habere circa peccatum, aut licentiam concedere illud committendi, multo minus approbare malum peccati; sed tantummodo sinere usum libertatis, non impediendo abusum per potestatem absolutam; atqui hæc agendi ratio non dedecet Sanctitatem Dei; salvatur enim odium summum peccati ex parte Dei, manente libertate et meritum ex parte creaturæ, ut ex dictis patet; ergo etc.

Brevius sic concludimus; Nullo titulo Deus, cum sit arbiter et Dominus absolutus donorum suorum, tenetur aliud præstare creaturæ, quam ipsammet ejus essentiam et naturam (ex supposito quod eam velit creare), quæ sane bona est in se, licet finita et imperfectionibus obnoxia; sed libertas et peccabilitas fluunt ex essentia creaturæ rationalis; impeccantia vero est quid omnino indebitum; ergo ad illam impediendam, et hanc concedendam non tenetur Deus. Quibus positis facile demonstrabitur sequens

190. PROPOSITIO II. *Sub unico ente summe perfecto non repugnat dari in creaturis malum cujuscunque generis.*

*Prob. I.* Quoad malum metaphysicum. In hoc enim consistit malum metaphysicum, ut entia creata sint in se limitata et imperfectionibus obnoxia, et alia aliis perfectiora; atqui id non repugnat sub ente summe perfecto; tum quia omne ens creatum est essentialiter limitatum et imperfectionibus obnoxium, secus enim deberet esse infinitum, quod absurdum est; tum quia Deus cum sit independens ac liber in creando et in manifestandis suis attributis, potest creaturis varios gradus entis, prout Ipsi placet, distribuere; tum etiam quia sine



varietate creaturarum, nullus decor et harmonia in mundo inveniretur.

*Prob. II.* Quoad malum physicum. Præ oculis semper habendum est quoad physicum malum: Vitam hanc præsentem stadium esse et palæstram probationis et miriti, cui vita altera succedet, in qua unicuique pro miritis justa retributio fiet. Igitur bona et mala præsentis vitæ rationem potius habent mediorum ad futuram acquirendam felicitatem, quam præmii vel pœnæ. Inter hæc autem media illa Deus unicuique assignat, quæ ipsi opportuna esse novit.

Deinde, nemo adeo bonus est, qui aliquid non peccaverit; nemo adeo malus, qui aliquid boni non gesserit: sæpe actiones quædam, quæ bona videntur ac magis dignæ præmiis, malæ re vera sunt ex fine operantis, pœnamque potius merentur. E contrario actiones nonnullæ, quæ videntur malæ, non sunt reipsa malæ, vel ex intentione operantis, vel ex ignorantia. Insuper, felicitas peccantium non raro eorum supplicium gravius facit, et inter amissionis conspectum, et conscientiæ cruciatus et futuri supplicii persensionem. Ergo justitia Dei maxime elucet in bonis iis physicis et malis distribuendis.

Præterea, Sapientia Dei, ut Provisor universalis est, mirifice elucet, et in regendo naturam humanam modo ipsi congruo et accommodato, per liberum, scilicet, exercitium virtutum patientiæ, humilitatis, etc.; et firmam spem veri præmii et pœnæ in futuro: et in conservatione ordinis universalis permittendo particulares alterationes, ut effectus ipsius universalis ordinis (1).

Denique, Illud non repugnat sub ente summe perfecto, quod sequitur ex natura hominis; atqui tale est malum physicum. Corpus enim constat partibus naturaliter dissolubilibus; ergo dissolutioni ac miseriis cum ea connexis naturaliter subjacet; anima pariter cum sit finita, non exi-

---

(1) Consul. D. De Maistre, *Soirées de Saint-Petersbourg.*

git hunc potius, quam illum scientiæ in intellectu, et rectitudinis in voluntate gradum, ac proinde ignorantiae et concupiscentiæ naturaliter obnoxia est. Deinde malum physicum originem etiam habere potest, et de facto habet, ex malo morali per liberam hominis voluntatem contracto (1). Præterea malum physicum de se verum malum non est, quatenus ad finem mundi generalem et ultimum concurrat, sed maxime inservit ad morale bonum promovendum; etenim ex malo physico mentes nostræ a creaturis abstrahuntur, ad Deum summum bonum eriguntur, mediumque inde accipiunt, quo et pro peccatis satisfaciant, et præmia alterius vitæ promereantur; ergo etc.

*Prob. III.* Quoad malum morale. Existentia enim mali moralis oritur ex abusu libertatis; atqui Deus nullo titulo tenetur hunc abusum impedire, sed potius ejus possibilitatem servare, et ut essentia creaturæ salvetur, et ut virtus magis eluceat, ut patet ex præcedenti Propositione; ergo etc. Stat igitur *Propositio*.

191. PROPOSITIO III. *Non eodem modo ratiocinari possumus de Divina atque humana bonitate.*

*Prob.* Non possumus de Divina et humana bonitate eodem modo ratiocinari, si in suo exercitio essentialiter differant; atqui Divina et humana bonitas in suo exercitio essentialiter differunt; ergo etc.

1.<sup>a</sup> *Differentia.* Bonitas hominis postulat, ut homo bonum quod et quantum potest, attentis circumstantiis, faciat. E contra de Deo id dici nequit absque absurditate; cum enim possit bonum facere melius in infinitum, teneretur infinitum actuale ad extra facere, quod con-

---

(1) Audi S. P. Augustinum: «Deus fecit omnia, et in suis »gradibus collocavit. Quare autem patimur multa mala a creatura »quam fecit Deus? Quia offendimus Deum..... De pœna tua peccatum tuum accusa, non Judicem» *Tract. 1. in Joan Evang. c. 1, n. 15.*

tradictionem involvit. Ergo bonitas Dei non postulat, ut faciat tantum boni, quantum potest; contraria ratio evenit in homine.

2.<sup>a</sup> *Differentia.* Bonitas hominis postulat, ut homo malum, quod potest, impediat. Deus e contra est perfecte bonus, quin impediat omne malum quod potest; secus enim vel teneretur ad optimum, quod repugnat, vel ad non creandum, quod pariter implicat. Ergo bonitas Dei non postulat, ut impediat omne malum, quod potest.

3.<sup>a</sup> *Differentia.* Bonitas hominis postulat, ut homo pluribus, quibus potest, bonum faciat, quia sicut causa, ita effectus semper erit limitatus. Contrarium de Deo dici debet; secus enim infinitos mundos, infinita entia etc. creare deberet, quod est actu impossibile. Ergo bonitas Dei non postulat, ut pluribus, quibus potest, bona tribuat.

4.<sup>a</sup> *Differentia.* Bonitas hominis postulat, ut homo cum primum poterit, benefaciat, cum tempori et circumstantiis subjectus sit, et tarditas in benefaciendo defectum arguat bonitatis. E contra de Deo id dici nequit; Ipsi enim tempus non transiit; secus et nos et hunc mundum creare ab æterno debuisset et quidem necessario, quod repugnat. Ergo bonitas Dei non postulat, ut quamprimum poterit, benefaciat.

5.<sup>a</sup> *Differentia.* Bonitas hominis postulat, ut homo illatas sibi injurias non ulciscatur, nisi forte sit supremus gubernator, qui ad id teneatur ex justitia; tum quia invasor nec summam, nec essentialem bonitatem invadit; tum quia vindicta ad eum solum pertinet, qui vel essentialiter est ipse ordo et justitia, vel qui est ejus vices gerens, ut ita ordo servetur et societas. E contra Deus in peccantes omnes ulcisci potest ac debet, tum quia universalis gubernator, tum propter rationem contrarietatis; Ipse enim est essentielle bonum, et ordo et

justitia, quæ jura abdicare non potest. Ergo Bonitas Dei non postulat, ut illatas sibi injurias non ulciscatur.

6.<sup>a</sup> *Differentia*. Hominis bonitas sæpe in justitiam convertitur, id est, ita exercere debet bonitatem, ut, si omittat, contra æquitatem justitiamque agat. E contra Deus antecedenter nemini aliquid debet ex justitia; omnia enim sponte atque liberrime et prorsus gratuito Ipse tribuit. Quod si quandoque in Deo bonitatis exercitium in justitiam convertitur, id tantum fit consequenter, scilicet, quia ex Bonitate suam promissis fidelitatem interposuit. Ergo bonitas Dei non postulat, nisi consequenter ad promissum et fidelitatem suam, ut ex æquo bona sua tribuat (1).

192. PROPOSITIO IV. *Sanctitas et Justitia divina non iisdem tenentur regulis, quibus sanctitas et justitia humana adstringuntur.*

*Prob.* Deus est Legislatores supremus, idemque rerum omnium Dominus, et super omnia, ut facile ex conceptu primæ causæ colligitur; ergo nequit illis omnibus justitiæ sanctitatisque regulis esse subjectus, quas Ipse convenienter ad finem, et ad naturas creatas entibus rationalibus tulit, atque in ipsamet eorum natura fundavit. Nam 1.<sup>o</sup>: Natura primæ causæ infinite distat a natura limitata; ergo justitia et sanctitas infinita non potest eadem habere immediata principia, ac justitia et sanctitas humana. 2.<sup>o</sup> Deus est essentialiter prima omnium causa et finis ultimus, ac proinde justitia Dei exigit, ut omnia ad seipsum ordinet et hunc ordinem inviolabiliter servet; aliunde Ipse est bonum absolutum, sanctitas igitur Dei exigit, et ut illum ordinem, et ut bonum seu seipsum essentialiter amet. E contra creaturæ, cum nec sint prima causa, nec finis rerum, nec

---

(1) Pet. Fourn., *Theol.*, Sect. 3., c. 3., art. 4.

summum bonum, sese ipsas ex justitia ordinare tenentur inviolabiliter ad Deum, ipsumque super omnia et in omnibus amare, ut sanctitatem participant; ergo sanctitas et justitia Dei contrariis principiis regulantur. Idcirco 3.<sup>o</sup> Leges sanctitatis et justitiæ sunt á Deo in homines; sed Deus lex ipse sibi est sanctitatis et justitiæ ex infinita sua ratione et ex perfectissima sua voluntate, neque ullius voluntati tenetur se conformare unquam; homo autem tenetur voluntati divinæ. Itaque sanctitas et justitia hominum est: *reddere omnibus quod omnibus debetur*, et hoc propter amorem ordinis essentialis, id est, Dei; Dei vero est, *exigere ut omnia sibi conformentur, et rationem petere de iis, quæ ab ipso data suat* (1): ergo latissimo intervallo distant justitia et sanctitas Dei, et hominum.

Hinc sequitur, Deum, ut est supremus Legislator, universalisque Provisor, *cujus Providentia extenditur ad vitam nobis futuram in æternitate*, posse juste sancteque pœnis temporalibus plectere societates, et populos, et familias, in quibus inveniantur justii et innocentes, imo etiamsi omnes innocentes sint, propter peccata et deordinationes, quæ in illa societate, familia, vel populo a parentibus commissa sunt; quia istæ societates, ut societates temporales, temporalibus pœnis ordini et justitiæ satisfaciunt, cum, ut tales, in futuro satisfaciendi incapaces sint. Judex vero temporalis hoc juste efficere non potest, tum quia non potest compensare damnum innoxis illatum, tum quia nullo jure est dominus vitæ innocentium, tum quia non habet potestatem in societatem, sed solummodo in individua relate et cum subordinatione ad bonum ipsius societatis; Deus autem habet omnia hæc jura, et potestates.

193. Ex hactenus disputatis, si bene intelligantur, fa-

---

(1) Hanc conclusjonem expresse fatetur vel ipse J. Rousseau in suo *Emilio*.

cillime solvuntur omnes difficultates, quas contra divinam Providentiam deistæ oggerunt, v. gr.

*Obj. I.* Cum Epicuro: «Deus aut vult tollere mala et non potest, aut potest et non vult, aut neque vult, neque potest, aut vult et potest, sed non scit: si vult et non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit: si potest et non vult, invidus est, quod æque alienum est a Deo: si neque vult, neque potest, et invidus et imbecillis est, ideoque neque Deus: si vult, et potest, sed non scit, non est sapiens, non igitur est Deus: si vult, potest et scit, quod solo Deo convenit, unde ergo sunt mala?

*Resp.* Deus et scit et potest vitare omnia mala et physica et moralia, sed non vult; nec tamen inde sequitur, ipsum esse invidum, sed sapientissimum, omnipotentem et optimum, quâ bonitate, omnipotentiam et sapientiam scit, potest et vult et elicit ex malo permissio maximum bonum, scilicet, et universi conservationem, et humanam libertatem, et exercitium heroicæ virtutis, et præmia æterna, et pœnitentiam peccantibus, et misericordiam in eos, qui in viam salutis redeunt, et manifestationem justitiæ et in tempore, et in æternitate puniendo impios deistas, si in sua malitia obstinantur.

*Obj. II.* Dedecet Deum curare de parvis et vilibus; ergo etc.

*Resp. Nego. ant.* Hoc enim est quod maxime commendat Dei Providentiam, curare de omnibus et ad finem dirigere; siquidem omnia ad finem ipse creavit.

*Ob. III.* Libertas est origo peccatorum; ergo mala est, ac proinde a Deo bono esse non potest.

*Resp. Dis. ant.* Libertas est origo peccatorum, quatenus peccatum supponit libertatem, *conc. ant.*; quatenus



essentialiter cum peccato connectitur, *nego ant.* Nam libertas in se considerata non est origo peccatorum, sed maximum bonum et potius origo virtutum; cum tamen in homine non possit esse perfectissima, ideo, ut observat S. Pater, necessario conjungitur cum possibilitate abusûs; sed possibilitas abusûs non necessario connectitur cum actuali abusu, porro Deus dedit quod bonum est, libertatem, illamque dedit prout in homine esse potest; abusum autem, ex quo peccatum oritur, non dedit, neque vult, sed permittit, ob fines ultiores se dignos. Jam vero possibilitas abusûs malam non reddit libertatem, sed semper bona remanet, prout est in homine, si quidem homo potest, ut debet, semper bene eâ uti.

*Inst.* Deus sanctissimus odio infinito prosequi debet peccatum; ergo non potest illud permittere, aut creare hominem cum inclinatione ad illud committendum.

*Resp.* 1.<sup>o</sup> *Dist. ant.* Odio interno infinito prosequi debet peccatum, *trans. ant.*; odio externe infinito, *nego ant.* Deus enim non debet, nec potest attributa sua infinite manifestare, ut constat ex dictis. Dixi *trans.*, quia cum sint peccata alia aliis majora, non omnia eodem odio prosequitur.

*Resp.* 2.<sup>o</sup> *Dist. 1.<sup>am</sup> Part. conseq.* Non potest illud permittere, id est, dare licentiam illud faciendi, *conc. conseq.*; illud permittere eo sensu, quod sinat illud fieri, *nego conseq.* Constat ex probationibus.

*Ad 2.<sup>am</sup> part. Nego suppositum.* Homo enim cum prim fuit creatum, nullum aliud malum vere habuit, quam naturalem contingentiam et limitationem; et quodcumque aliud malum in homine nunc est, non a Deo, sed ab ipso homine ex liberrimo abusu libertatis provenit. Id perspectius fit ex doctrina peccati originalis, quam tradit divina Revelatio. Aliunde hæc ad malum propensio non est aliquid formaliter malum et ex natura sua,

siquidem absque peccato potest esse, et non necessario ad peccatum inclinatur (1).

